





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottl. / diff. de Genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de jefu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatria, Lipsie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines, jena 1701.
6. diff. de regno Israelis restaurando, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733.
8. diff. de Jefu Christo deandropo, jena 1704.
9. ... / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria mundi, jena 1661.



m. 8  
2. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE  
JESU CHRISTO  
ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ

SISTENS  
DUAS IN CHRISTO NATURAS PERSONALITER  
UNITAS, EARUMQUE PROPRIETATES

QVAM  
IN ILLUSTRIS AD SALAM ACADEMIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE  
DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, &c. &c.

SUB PRÆSIDIO

SUMME REVERENDI

DN. PHILIPPI MÜLLERI,

DOCTORIS THEOLOGI,  
DUCAL. SAXON. CONSILIARII ECCLESIASTICI, AD B. VIRG. MAGDEB.  
PRÆPOSITI ET PRÆLATI, FACULT. THEOL. PROF. PUBL. p. t. DECANI,  
ET ACADEMIÆ SENIORIS MAXIME VENERABILIS.

*Domini Patroni ac Præceptoris sui filiali obsequii cultu semper prosequendi,*

In Auditorio Theologico

*publica disquisitioni submittet*

JOHANNES GEORGIUS REINESIUS,

Magdeb. Saxo.

AUTOR ET RESPONDENS

Ad d. April. MDCCIV.

---

JENÆ, LITERIS WERTHERIANIS.

V I R O  
PRÆ-NOBILISSIMO,CONSULTISSIMO,  
PRUDENTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,  
D O M I N O  
SEBASTIANO  
GERKENS,  
CELEBERRIMO J. U. DOCTORI,  
ET PER-ILLUSTRIS LIBERÆ IMPERIALIS  
REIP. LUBECENSIS SENATORI  
LONGE GRAVISIMO,  
*Mecænati & Studiorum meorum Promo-*  
*tori, supremo observantia Cultu*  
*semper devenerando.*

# VIR EXCELLENTISSIME,

PATRONE

*Multis nominibus Colende.*



**I**Nter alia sacra & augustissima  
 DEI nomina, quæ Salvatori no-  
 stro JESU CHRISTO, inexhau-  
 stæ æternitatis Fonti, Eloquia  
 DEI tribuunt, optimo jure etiam  
 illud referri posse putamus, dum in Sancta Jo-  
 hannis τῆ θεολόγῃ Apocalypsi se ipsum aliquo-  
 ties vocat Α & Ω. Id quod ex primo statim  
 ejus limine patet, dum *cap. 1. v. 8.* dicit: ἐγὼ  
 εἰμι τὸ α, καὶ τὸ ω. Quod vero Christus &  
 nemo alius verba hæc elocutus fuerit, adeoque  
 ille solus per α & ω hoc loco intelligendus ve-  
 niat, non est ut operosè probemus, cum omnes  
 circumstantiæ textus hoc satis clarè evincant.  
 Nam cum Johannes *vers. 12.* vocem loquen-  
 tis audiret, statim se convertit, ut videret eum  
 qui loqueretur, & ecce *vers. 13.* vidit similem  
 Filio hominis, qui deinde *vers. 17.* eundem  
 sensum, sed aliis verbis repetit, dicens: ἐγὼ εἰμι  
 ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. Qua ratione vero il-  
 lud α & ω de Filio DEI h. l. explicari debeat,  
 ipse non obscurè innuit, dum *cap. 1 vers. 8.*  
 ἐξηγητικῶς subjicit: ἀρχὴ καὶ τέλος, & *vers. 11.*  
 οὐρανὸς καὶ γῆ ):( 2 ὁ πρῶτος

ὁ πρῶτος καὶ ἔχατος, quæ deinde *cap. ult.*  
*v. 13.* conjungit, dicens: ἐγὼ εἰμι τὸ α, καὶ τὸ  
ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ἔχατος: ego  
sum α & ω, primus & novissimus, principium  
& finis, ut ita h. l. per α initium, per ω autem  
finis ex mente Salvatoris nostri indigitetur. Si  
vero ad ipsum dicendi genus respiciamus, de-  
sumptum illud est ex Alphabeto Græco, quem-  
admodum enim in illo α primum, ω verò ul-  
timum locum occupat; ita per metaphoram  
α pro principio, ω verò pro fine sumitur. Egre-  
gia sane appellatio & æterno Filio DEI digna,  
ipse enim verè est ille primus & novissimus,  
præter quem non est DEUS *Es. 44. v. 6.* qui  
omnium rerum principio anterior & omni fine  
posterior, ipse est verè principium & finis, pro-  
ra & puppis æternæ nostræ salutis, non enim  
est in alio quoquam salus, nec aliud nomen  
sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat  
nos salvos fieri, nisi in nomine Jesu *Act. 4.*  
*v. 12.* Ipse est omnia in omnibus, a quo omnia  
bona fluunt, & ad quem omnia reverti de-  
bent. Hinc veteres omnem suam scientiam  
unicè in Christum Servatorem suum defixam  
putabant, eamque omnibus diligenter com-  
mendabant his verbis: Si Christum nescis ni-  
hil est si coetera discis; si Christum discis satis  
est

est si coetera nescis. Præeuntem hic habuerunt Paulum vas illud DEI electum, qui Corinthiis suis testatur, se unicam hanc scientiam iudicasse, nosse Christum, & hunc quidem crucifixum. 1. Cor. 2. v. 2. Et his rectius consideratis, dum specimina quædam academica publico Eruditorum examini submittere animus est, de JESU Salvatore meo Optimo & unico scribendi initium auspiciari, constitui. Quod verò, Vir Excellentissime, Patrone nunquam satis devenerande, hanc de Sanctissima ejus Persona, Excellentissimo Tuo Nomini præ aliis maximè consecratam esse voluerim, non una ratione adductus sum. Ut alias nunc non commemorem, suaserunt id imprimis non solum egregia Tua in Rempubl. & Literariam merita, verum etiam singularia Tua in me collata beneficia, quorum tantus est numerus, ut ea effari & deprædicare me nunquam satis posse lubentissimè fatear. Supervacaneum nunc esse duco reliquarum virtutum Tuarum hic contexere catalogum, cum earum testes & prædicatores non tantum Lubeca, sed & Dania sistat quamplurimos, satisque facundos. Quanta dexteritate, prudentia & Nominis Tui gloria ad Sacratissimam Potentissimi Regis Danici Majestatem vice plus simplici



Legati munus obieris, testatæ olim sunt Novellæ publicæ, & adhuc testantur commercia illa literaria, quæ inter Summos Regni Danici Proceres, Tuamque Excellentiam intercedunt. Quid dicam de summis Tuis & nunquam satis deprædicandis in rem literariam meritis? ea sane tot & tanta sunt, ut etiam quamplurimæ intra & extra Germaniam Ecclesiæ & Academiæ Orthodoxæ, hoc ipso nomine se Tibi maximo-pere obstrictas profiteantur, hincque calidissimas pro incolumitate Tua ad DEUM fundant preces. Quem enim eruditorum latet, quanto cum Ecclesiæ emolumento Schabbeliana illa beneficia literaria undiquaque celebratissima à Tua Excellentia hucusque sint dispensata, cum tot Summi Theologi de Ecclesia Jesu Christi jam tum præclare meriti & indes merentes, hoc ipso beneficio à Te olim enutriti, testes sint omni exceptione majores? Sed fusius hæc diducere instituti mei ratio non admittit, imprimis cum notiora hæc sint omnia, quam ut mea narratione indigeant, Tuorumque meritorum tot præclara jam existent monumenta, quæ nulla unquam delebit vetustas aut obscurabit oblivio. Deprædicanda potius nunc forent singularia, & penè innumera Tua quæ in me existant beneficia, utpote quæ potissimum cal-



calcar mihi addiderunt, ut hunc exiguum ingenii foetum sub Excellentissimo Tuo Nomine in publicum Eruditorum conspectum producerem. Ast verò, cum ob laudis praeconium nunquam benefacere soleas, memor dicti illius Salvatoris nostri; quod in erogandis elemosynis sinistra manus nunquam scire debeat quid faciat dextra, sacro igitur silentio ea venerari malo, quam publica deprædicatione in detestandæ adulationis suspicionem incurrere. Licebit tamen de innumeris aliis id unicum saltem singularis Munificentiae Tuæ hic adducere argumentum, quod ante aliquot annos, novas effectus Tui tesseras in me prolaturus, Alumnorum Schabbelianorum censui benignè me annumeraveris, & ad continuanda studia mea academica sumptus necessarios hucusque largissime subministraveris. Quem benevolum erga me affectum sicut gratisima semper venerabor memoria, ita specimen hoc academicum, tanquam publicum beneficiorum præconem, & officiosissimi animi mei testem, ea qua par est, humillima devotione Excellentiae Tuæ offero & addico, submissè rogans: ut Excellentia Tua pro singulari sua humanitate serena fronte illud suscipere, suumque erga me favorem factum tectum

con-

conservare non dedignetur. Hoc si obtinero,  
plura alia sub Tuo auspicio brevi subsequenter.  
Numenque Supremum assiduis votis compre-  
cabor, ut Excellentiam Tuam cum suavissima  
Conjuge, & Sobole utriusque sexus, ab omni-  
bus, quocunque etiam nomine veniant, cala-  
mitatibus, immunem præstet, vitam diutissi-  
mè conserve, Nominis gloriam augeat,  
omnes conatus prosperet, aliaque pro innume-  
ris in me collatis beneficiis hic inter homines  
præmia, & infinitis partibus majora tibi ali-  
quando in cœlo constituat, De cœtero ulte-  
riori Tuo favori me, meaque studia etiam at-  
que etiam commendo, qui permaneo

## EXCELLENTIÆ TUÆ

Jenæ d. April.  
1704.

*humillimus & devotissimus cliens*

JOHANNES GEORGIUS REINESIUS

Magdeb. Saxo.

CAP.



CAP. I.

*Nomina Salvatoris excutiens.*

§. I.



Inscriptimus hanc dissertationem de Jesu Christo *Ἰησοῦ Χριστῷ*. Ubi ante omnia hæc nomina veniunt excutienda, & quidem considerabimus (1) genuinam eorum Philologicam derivationem, (2) peculiarem impositionem.

§. II.

Nomen Jesu igitur (1) quod genuinam derivationem concernit, deducunt quidam (inter quos annotante *Glasfio Philol. S.* etiam *Basilii M.*) à græco verbo *ἰδομαι* fano, ut ita juxta horum sententiam *Ἰησῆς* idem sit ac Jason, cujus gentiles fabulæ ob vellus aureum operosè meminerunt; sic *ἰατρός* Medicus, uti etiam Eusebius illud explicat, sed minus rectè, cum analogia huic derivationi contrarietur. *Notandum tamen, quod veteres in derivandis vocibus peregrinis quandoque ingeniosè ludere, & quamvis vera vocum etyma probè norint, alias tamen,*

A origi-

origines sæpe comminisci soleant. videatur Joacimus Hildebrandus, in Antiquitatibus Biblicis. p. 28.

§. III.

Alii putant nomen hoc deductum esse ab essentiali DEI nomine יהוה cui inserta fuerit litera  $\Psi$ , ut per hanc literam factum sit effabile, cum antehac ineffabile fuerit. ut statuit post veteres *Andreas Osiander*, in Harmonia Evang Sed ut alias rationes, quas magno numero *B. Gerbardus* Exeg. Loc. IV. c. 1. §. 3. p. 115. & seq. Galatim. in Arcanis l. 3. c. 20. & *B. Bechmannus*, Præceptor olim meus post fata colendus in Annotationibus in Hutter. p. 94. adducunt, nunc taceamus, obstat ratio, quæ ab Angelo *Matth. I. v. 21.* assignatur, ubi significat Christum nomen hoc haberet à salvando. Ast vero, si Jesus ex nomine יהוה, nomen non habet à salvando, sed existendo, quia יהוה est à היה existitit. Putamus autem illud olim dictum fuisse ineffabile, non quod non possit, aut debeat effari, sed quia Sacrosanctum est, & ideo vel in rebus prophanis non debeat assumi, vel quod apud Judæos alicui Imponere nefas fuerit. Ita nec à  $\Psi$  notâ sub vel existentia devenit. *Gerbard. d. l. §. d. n. 4.*

§. IV.

Communissima & verissima ratio est, quod sit origine hæbraicum, & quidem à radice inusitata  $\Psi$  quæ in Hiphil habet  $\Psi$  servavit, salvavit, ubi litera  $\Psi$  græcè redditur per jota vocalem, quia Græci non habent jot consonantem. Et ita *Ἰησῆς* vi vocis notat Salvatorem, id quod clarè innuit Angelus *Matth. I. v. 21.* dicens: vocabis nomen ejus Jesum, quia salvum faciet populum suum à peccatis. *Galat. d. c. 20.* inde *Gerb. c. l.*

§. V.

Sed attendamus (2) peculiarem impositionem, circa quam sequentes circumstantiæ veniunt observandæ, nempe (α) à quo Mediatori nostro hoc nomen impositum? principaliter à DEO Patre, qui illum fecit in salutem omnium populorum. *Ef. 49. v. 6.* ministerialiter verò ab Angelo, qui hoc nomen solenni modo promulgavit. *Matth. I. v. 21. & Luc. I. v. 31.* (β) observandum quando Salvatori hoc nomen impositum, non demum in circumcissione, sed antequam conciperetur in utero matris *Luc. II. v. 21.* (γ) attendendum ad hujus impositionis rationem, quam refert Angelus *Matth. I. v. 21.* inquiens: *αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτῆ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.* Quod ipse Salvator confirmat, *Zach. VIII. v. 7.* dicit: Ecce ego salvo populum meum de terra orientis, & de terra occasus solis. Est enim ille verus Salvator, extra quem nulla Salus speranda est. *Act. IV. v. 12.*

§. VI.

Nec obstat quod nomen Jesu etiam aliis impositum fuerit, videlicet Josuæ, Filio Nun, Syracidi, & aliis, nec enim coincidit Josuæ appellatio cum Jesu, uti *Gerhard. d. l. §. 8. n. 2.* observat, contra Jesuiticam notam JHS. & magnum inter horum & Salvatoris nostri denominationem discrimen intercedit; (1) quidem quoad impositionem; Christo enim competit eminenter, & plenariè; ipsique, ut supra dictum, hoc nomen impositum est ab Angelo, his verò ab hominibus; (2) quoad significationem, illi fuerunt tantum typi, ac Josua terrenæ fortunæ organum, Filius autem DEI est verus Salvator ab omni reatu & periculo statûs, adeò (3) κατ' ἐξοχήν Salvator noster est, qui solus salvat. *Act. IV. v. 12.*

§. VII.

Secundum nomen quod h. l. considerandum venit, est Christus, quod origine græcum, & descendit non à *χριστός*, quod utor significat, sic enim non *χριστός* sed *χριστός* per η diceretur, cujus literæ errore Gentiles ducti ipsum Chrestum, fideles dixere Chrestianos, ceu *Justinus Martyr. Apol. 1. pro Christ. p. 2.* probè applicat. Licet *Tacit. Annal. l. 15. c. 44.* nomen Christi usurpet, pravis censor exitiabilem superstitionem imputans. Sed ἀπὸ τῆς χρίω quod ungo, inungo significat. Cui vocabulo in V. T. respondet חַיִּים, quod est à radice חָשַׁב unxit oleo. *Conf. Gerb. d. l. n. 13.*

§. VIII.

Hujus denominationis rationem habemus typicam & propriam *Pf. XLF. v. 8.* ubi ad secundam Personam Divinitatis dicitur; unxit te DEUS (Pater) o DEUS (fili) oleo lætitiæ (Spiritu S.) præ Consortibus tuis. Si Scripturam S. evolvimus, tria deprehendimus hominum genera, quæ oleo inungi solebant, nempe Reges *I. Sam. X. v. 1. I. Reg. I. v. 39.* Prophetæ *I. Reg. 19. v. 16.* & Sacerdotes *Exod. XXIX. v. 7. 8.* Ita & benedictus DEI Filius unctus est in Regem nostrum spiritualem & æternum, ut Ecclesiam suam sanguine suo redimendam, jamque redemptam contra varios Satanæ impetus defenderet. Unctus etiam est in Prophetam, qui nobis cœlestis sui Patris voluntatem de salute totius generis humani revelaret juxta *Job. I. v. 18.* unctus denique est in Sacerdotem nostrum, ut se pro totius mundi peccatis in ara crucis, tanquam victima & agnus immaculatus cœlesti suo Patri offerret, & nos ipsi reconciliaret. Cæterum inter unctionem Christi, & Regum, Sacerdotum & Prophetarum V. T. magnum interce-

tercedit discrimen autore, organo, fine, effectu, ut *Athanas. Orat. 2. contrà Arian. p. 171.* monet, de quo consuli potest. *Gerbard. d. l. §. 14. post Galatin. d. l.*

§. IX.

Competit autem Christo hoc nomen secundum utramque naturam, vel quod idem, est concretum personæ, non naturæ. Licet enim unctio, ut omnes Orthodoxi Theologi statuunt, Christo secundum Humanam naturam tantum competat, nihilominus tamen nomen ipsum totam personam ex duabus naturis constantem denotat, juxta Athanasium *Dial. 5.* de Trinitate, ubi ait: *Χριστός ἐν πρόσωπον ἐστὶ συντεθέν ἐκ θεῶ καὶ ἀνθρωπότητος* h. e. Christus est una persona constans ex DEO & humana natura, & *Orat. 5. contrà Arianos: χριστός τὸ συναμφοτέρον νοεῖται,* Christus id esse intelligitur quod ex utroque constat, nempe Deitate & humanitate. Sic ipsum necdum incarnatum prædicari, Personæ identitas, destinationo DEI, præfagia, figuræ, efficacia, terminus, probant, ut tempus eventu tali insigne. Conf. *Gerbard. §. 16. 17.*

§. X.

Tertium vocabulum est *θεῶνθεωπος*. De quo notandum (α) quod sit *ἀγαφον* in sacris enim literis expressè non habetur, sed *Ecclesiasticum*, à sanctis Patribus, quando in certamina cum hæreticis *χριστομάχοις* descenderunt, est inventum & usurpatum. (β) notandum, quod sit concretum personæ, seu vocabulum, totam personam ex utraque natura constantem denotans, quod ipsum facile ex ipsa voce patet; & cum primis eo non tantum exprimitur arctissima duarum in Christo naturarum unio; sed simul etiam ostenditur, unionem illam factam esse absque omni confusione, quod idem ille, qui sit verus

Deus per æternam scilicet à Patre generationem, ille ipse etiam sit verus *ἀνθρώπος* per assumptam in utero Mariæ Virginis humanam naturam, ita tamen, ut una natura ab altera maneat vere & realiter distincta. uti Symbol. Athan. *DEUS ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantiâ matris in seculo natus*, utrinque perfectus prædicatur. Conf. B. *Job. Ernest. Gerbard.* Diss. de his quæ in S. Script. sunt & non dicuntur, post parentem *d. l. c. 4. §. 37.*

§. XI.

Huic vocabulo in V. T. *Esa. c. VII, 14.* æquipollet vox *יהוה עםנו* quæ origine est hæbraica, & composita ex præpositione *עם* cum, pronomine *יהוה* nos, & nomine *יהוה* DEUS. Qua voce pari modo exprimitur utraque Christi natura divina & humana. Divina habetur in vocabulo *יהוה* quod propriè fortem denotat, & postmodum *καὶ ἐξοχλὴν* ad DEUM, qui solus est fortis, applicatur. Humana verò natura indicatur cum dicitur esse nobiscum. DEUS autem nobiscum h. l. idem est, ac si dicerem, DEUS in carne nostra habitans. Quod observandum, contrà Judæos, qui evincere volunt, Jesum nostrum non esse verum & promissum mundi Messiam, quia Messias vocari debuerit Immanuel *Esa. VII. v. 14.* Sed ut Judæis Judæi os oppilant, de Ezechia, ap. *Galatin. L. III. c. 18.* & *Arias Montanus* insigni opere, jam rarefcente indignè, exequitur, Conf. *Gerbard. §. 26. n. 4. add. Calov. b.* contrà *Grot.* multa alia nomina Salvatori nostro in Scriptura V. T. attribuuntur, quæ illi competunt quoad rem. Solum verò nomen Jesu illi competit quoad peculiarem prærogativam. Et notandus hic Theologorum ille canon: In Scriptura nonnunquàm Rei imponitur nomen, non quod illud habitura sit quoad vocem, sed quoad rem tali



§ (7) §

tali voce significatam. Conf. *Quensted. Syst. Theol. P. III.*  
*c. 3. m. 3. lb. 18.*

## CAP. II.

De

### *Divina Christi Natura.*

§. I.

**D**uas in Christo esse naturas, divinam & humanam perspicuè docet Symbolum Nicenum quando dicit: *Jesum Christum esse Filium DEI unigenitum, ex Patre natum ante omnia Secula: DEUM de DEO, lumen de lumine, DEUM verum de DEO verò: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram Salutem, descenderit de cœlis, & incarnatus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: & homo factus sit. Quæ seorsim ex Scriptura Sacra nunc erunt probanda. Et quidem quod divinam ejus naturam concernit, probatur ea (1) ab æterna à Patre generatione, & quidem è *Pf. II. v. 7.* ubi DEUS Pater dicit ad DEUM Filium: Tu es Filius meus, hodiè genui te, scilicet non generatione physica & metaphysica, secundum quàm generantur corpora, neque generatione metaphorica, quæ fit per adoptionem, sicuti pii passim in Scriptura S. Filii DEI dicuntur, sed generatione æterna & nobis imperscrutabili. Hinc dicit *Hilarius l. 3. de Trinit. verus & proprius est Filius Origine, non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate, non creatione.* Patet id ipsum è *Prov. IIX. v. 24.* ubi dicit divina Sapièntia (Filius DEI) nondum erant abysli & ego jam genita eram.*



eram &c. & ex *cap. V. v. 2. Micha*, ubi dicitur: egressus ejus à diebus æternitatis. Quibus verbis æterna ejus nativitas à Patre insinuat, vocabulum enim egredi significationem nonnunquam habet  $\tau\bar{s}$  nasci, ut patet *Gen. XV. v. 4. & XVII. v. 6. Jud. IIX v. 30. II. Sam. VII. v. 12.* Et inde est, quod in N.T. vocatur Filius DEI proprius *Rom. IIX. v. 32. unigenitus DEI Filius Job. I. v. 18. cap. 3. v. 16.* item Filius DEI dilectus. *Matth. III. v. 17.* hinc ita argumentamur:

Quicumque est genitus ex substantia DEI Patris, ille habet eandem numero essentiam divinam, adeoque verus & æternus DEUS est

Atqui Filius DEI est genitus ex substantia DEI Patris.

Ergo Filius DEI habet eandem numero essentiam divinam, ac verus & æternus DEUS est.

Major propositio quodammodo ex Lumine naturæ Patet, ubi docemur: gignentem & genitum esse ejusdem essentia sc. ejusdem specie essentia, quod autem illum, qui genitus est ex substantia DEI Patris, oporteat habere eandem numero essentiam, probatur inde: quia essentia divina non nisi una est, adeoque multiplicari non potest. Minor autem ex locis citatis clara est.

§. II.

Hæc Generatio autem Filiū DEI, à generatione humana & communi multis modis differt, & quidem ( $\alpha$ ) prioritate, nam aliàs parentes priores sunt liberis: In hac divina autem generatione Pater & Filius simul sunt *Proverb. VIII. v. 22.* ( $\beta$ ) mutabilitate. In divinis non est mutabilitas *Jac. I. v. 17. & Sap. VII. v. 25. 26.* ( $\gamma$ ) Substantia numero diversitate: In divinis vero Patris & Filius unam

unam numero essentiam habent. (d) Separabilitate in divinis Pater & Filius unum sunt. *Job. X. v. 30.* (e) Majoritate & minoritate, in divinis verò Patris & Filii æqualis Gloria, & coæterna Majestas. vide *Bottf. Moral. Gedanensf. p. 397. §. 2.*

§. III.

Cæterum cum hoc Mysterium Generationis sit ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ κατάληψιν, non est curiosè scrutandum, nec ratione humana metiendum; *humana enim sapientia in se confidens impingendo citius potest sibi cornua atterere, quam innitendo Petram hanc avellere.* *Anselm. de Incarnat. verbi c. 2.*

§. IV.

Probatur Divinitas Christi (II) è nominibus soli DEO competentibus, quæ ipsi attribuuntur. Vocatur enim (a) absolute & simpliciter יהוה *Jerem. XXIII. v. 6.* ubi dicitur יהוה צדקת דמיןus justitia nostra. confertur locus hic Jeremiæ cum *I. Cor. I. v. 30.* id quod etiam ex collatione aliorum locorum V. & N. T. patet, ubi illa, quæ in V. T. diserte de summo DEO dicta sunt, in N. T. de Christo DEI Filio explicantur. e. g. *Ef. VI. 1.* collat. cum *Job. XII. v. 41. Ef. XL. v. 3.* collat. cum *Matth. III. v. 2. 3. Num. XXI. 5. 6.* coll. cum *I. Cor. X. v. 9.* plura loca suppeditat. B. *Gerbard. d.l. §. 45.* & contra *Photinianos* vindicat. §. 46. Conf. *Scherzer. Disp. III. Tb. 2. Disp. 12.* Jam autem nomen Jehovah uni, soli, vero, DEO proprium, quo ab essentia sua simplicissima, infinita & æterna denominatur. Nec unquam hoc nomen in Scriptura S. in casu recto positum invenitur, ubi non verum DEUM denotet. Hinc DEUS illud sibi soli vindicat. *Exod. III. v. 15. Ef. XLII. v. 8.* & Scriptura DEO

B

illud

illud tanquam proprium tribuit. *Exod. XV. v. 3. & Es. XLVIII. v. 2.* quandoque etiam voculam exclusivam addit. *Pf. 83. v. 19.* vocatur ( $\beta$ ) in N. T. expressè  $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$  *Joh. I. v. 1.* absque articulo præposito. item  $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$  *εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας Rom. IX. v. 5. ἀληθινὸς θεὸς I. Joh. V. v. 20.* Et cum articulo *Job. XX. v. 28.* ubi Thomas ad Christum dicit: ὁ  $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$   $\mu\epsilon$  ( $\gamma$ ) vocatur  $\kappa\epsilon\iota$  *Pf. 33. v. 6.* vel  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  *Job. I. v. 1.* ubi non intelligitur  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  *προφορικὸς* seu verbum enunciativum, sed  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  *ἑσιώδης* verbum substantiale. Ex his vocabulis rectè infertur Christi divinitas. Vocabulum enim  $\kappa\epsilon\iota$ , & apud Johannem  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ , idem est quod  $\kappa\epsilon\iota$  &  $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ . sicut etiam ipse Johannes se explicat citato capite, quando dicit: *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.* Judæi adeo erant superstitiosi circa vocabulum  $\kappa\epsilon\iota$ , ut illud crebro usu profanari putarent. Hinc quoties nomen hoc in quotidiano sermone occurrebat, pro eo usurpabant vocabulum  $\alpha\upsilon\tau\omicron\iota$ , vel etiam vocabulum Chaldaicum  $\text{ܡܝܬܪ}$  quod verbum significat, & hoc ipsis idem erat quod  $\kappa\epsilon\iota$ , & hac occasione Johannes, divinitatem Christi asserturus, illum vocat  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  h. e. juxta Judæos, Jehovam. Conf. *Calov. ib.*

## §. V.

Probatur Divinitas Christi (III) ex attributis divinis essentialibus, quibus insignitur, est enim (1) æternus *Mich. V. 2. Proverb. IIX. v. 22. Job. I. v. 1. cap. 6. v. 58. Ebr. VII. v. 3. Col. I. v. 15.* unde & Pater æternitatis dicitur *Es. IX. v. 6.* (2) omniscius, in illo enim sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ *Col. II. v. 3.* hinc Petrus dicit: Domine tu omnia nosti. *Job. XXI. v. 17.* videt cogitationes hominum *Matth. IX. v. 4.* scrutatur  
renes

renes & corda *Apoc. II. v. 23.* Judicabit aliquando occulta hominum *Rom. II. v. 16.* & patefaciet consilia cordium, *I. Cor. IV. v. 5.* (3) omnipotens, quam omnipotentiam suam per varia divina opera demonstravit. Hinc etiam vocatur *Ef. IX. v. 6.* **יְהוָה** DEUS fortis. (4) immutabilis *Pf. 102. v. 28.* ubi David dicit: tu ipse es, & anni tui non confumentur. quæ verba Autor Epistolæ ad Hebræos ad Christum accommodat *cap. I. v. 12.* In summa: est cum Patre unum *Job. X. v. 30.* & omnia attributa, quæ Patri competunt, competunt & illi, omnia enim quæ habet Pater, illius sunt *Job. XVI. v. 15.* quæ, & alia attributa Christum verum DEUM esse evincunt.

§. VI.

Contra hæc attributa Adversarii Ariani varia solent excipere, imprimis contra æternitatem DEI, tanquam potissimum DEI attributum, quam ex *Prov. VIII. v. 22.* *Job. I. v. 1.* & aliis locis Scripturæ stabilivimus, multa in medium proferunt. Contra primum locum *Proverb. VIII. v. 22.* excipiunt (1) apud LXX. Vulgo sic dictos Interpretes legi, in principio viarum suarum *ἐκίσσε* creavit me Dominus, jam autem contradictionem involvere creatum, & tamen ab æterno esse. Resp. quanquam multi hic sese misere torqueant, ut LXX Interpp. excusent, nos tamen illos mittimus & accommodam responsionem, quam nobis B. Patruus noster. Dn. L. Reinesius, in Prælectionibus Theologicis in Instit. Catechet. Dieterici suppeditat, damus, *scilicet non esse estimanda Scriptura S. loca ex versionibus quantivis etiam pretii sint, sed ex textu autentico, cum autem legere Jehovah יְהוָה possedit me, sc. per generationem æternam.* Nam sic non solum Eva, cum pareret primum filium Cainum, explicat, *Gen. IV. v. 1.* sed &

ipsa divina Sapiencia, quæ verborum suorum optima interpres, *vers.* enim 24. dicit: nondum erant abysli & formata, seu genita eram. Et videntur LXX. Interpretres falsa hypothese fuisse inducti, ac si Salomoni sermo sit de Sapiencia non divina hypostatica, sed de sapientia in genere & creata. Sed nihil causæ est, cur relicto fonte rivus bibamus. Sed regerunt. (2) Adversarii, quanquam legamus: Dominus possedit me, inde tamen nihil amplius è dicto loco sequi, *quam quod Christus ante omnes Creaturas exsiterit*, quod & ipsi non negant, non verò exinde evinci posse, quod Christus fuerit ab æterno, cum exprimat tempus, quod ante omnes creaturas fuerit, cum & ipse sit Creatura omnium creaturarum prima, uti vocatur à Paulo *Col. I. v. 15.* Resp. Si Sacram Scripturam evolvimus, nullibi reperimus aliquod medium, quod inter æternitatem & creationem intercedat. Sed, si quæris, quid fuerit ante mundi constitutionem? Resp. nil nisi DEUS, qui est æternus, si igitur, ut fatentur Ariani, Christus fuit ante mundi constitutionem, necessariò exinde, concluditur, eum esse ab æterno, cum nullum inter æternitatem & mundi creationem detur tertium. Aut igitur Ariani Christum ab æterno esse concedant, aut eum in creatione mundi demum cœpisse dicant, aut tempus quoddam intermedium inter æternitatem & creationem expriment, quod ultimum tamen ad calendæ græcas demum facient. Executus est plenè *B. Geier.* ad h. l. ut *Galatin. l. 3. c. 3.* Judaicam detorsionem arguit. & vindicat *Scherzer. d. 15. p. 137. seq.* & crucem è LXX. Dd. fixam levat *Calov. ib.* cui præiverat *Gerhard. d. l. §. 128.* Quod verò locum *Colos. I. v. 15.* ubi Christus ab Apostolo *πρωτότοκος πάσης κτίσεως* vocatur, attinet? ille non parat adver-

adversariorum causa patrociniū. Sciendum enim est, quod Primogenitus omnium creaturarum idem sit ac primogenitus ante omnes creaturas, qualis præter DEUM nemo est, qui omnia creavit, & à quo creaturæ in esse suo dependent. Notata digna sunt *Ambrosii* verba *Orat. 3. contra Arianos: si omnino omnis creatura primogenitus, diversum ergo quiddam à rebus creatis fuerit.* *B. Balduinus* probe notandum dicit in suo Commentario in h. l. quod *Christus non vocetur πρωτοκτισεις primocreatus, sed πρωτότοκος primogenitus, quia hoc ipso Apostolus ostendat Christum non esse è numero creatorum, sed Genitorum, quia est unigenitus à Patre Job. I. v. 14. quod de nulla creatura dici potest, cum DEUS ex se ipso similem sibi gignat.* *Benè Flacius Cl. h. v. præminentiam & principatum in creaturas omnes, è parallelis, agnoscit, post Galatin. l. 1. c. 5. ut Gen. 49, 3. cui Ravanell. accedit. ac Episcopus Inst. l. 4. S. 2. c. 33. f. 336. b. probè observat, loca ista omnia longè quid excellentius continere, quàm quod J. C. qua homini ex virgine nato, vel in cœlum exaltato, competere possit, & Patris operi plastico concordare ipsius operam, per quem sint omnia. Conf. ipsum, licet hic abnuat B. Calov.*

§. VII.

Contra locum *Job. I. v. 1.* quem similiter pro adstruenda Christi æternitate adduximus, Neo-Ariani seu Photiniani excipiunt, (α) per Verbum non intelligi Filium DEI, seu verbum ὑποστατικόν, sed saltem προφορικόν, quo DEUS omnia creavit *vers. 3.* & hoc verbum fuisse: fiat *Gen. I. v. 3.* Resp. Johannes hic nequaquam loquitur de verbo προφορικῶ, seu enunciativo, sed de tali verbo (1) quod sit DEUS ipse, Θεὸς ἦν ὁ λόγος (2) quod caro factum

Etum sit, cujus Gloria fuit veluti Gloria unigeniti à Patre  
 h. e. Majestas & potentia ejus testabantur eum revera  
 esse unigenitum & coessentialem sempiterni DEI Filium.  
 Verbum igitur hic non προφορικόν, sed ὑποσακτικόν in-  
 telligi debere quis est qui non intelligat? (β) ab hoc de-  
 pulsi præsidio alium scrupulum quærunt in voce Θεός, &  
 dicunt: illud h. l. non esse nomen naturæ, sed officii, quo  
 sensu non tantum Christo, sed & aliis Creaturis tribui  
 possit. Resp. Negamus, hac enim ratione nulla in N. T.  
 dabitur vox, quæ naturam & essentiam DEI exprimat,  
 quia præter vocabulum κυρίως nulla alia vox, ubi de DEO  
 agitur, in N. T. adhibetur. Sed regerit Socinus: vocabu-  
 lum DEI interdum quidem esse nomen naturæ, si nempe  
 ponatur cum præfixo articulo ὁ. Quoties vero ille arti-  
 culus non sit additus, ut in hoc loco Johannis, tunc esse  
 nomen officii, & non denotare verum DEUM. Resp. Hæc  
 observatio non est perpetuæ veritatis, cum multa in  
 Scriptura habeantur exempla, è quibus contrarium evinci  
 potest, quod sc. Θεός cum articulo non ubique verum  
 DEUM denotet. e. g. II. Cor. IV. v. 4. ubi Diabolus vo-  
 catur ὁ Θεός τῶ ἀϊῶν. Confer etiam Philipp. III. v. 19.  
 Deinde etiam in Scriptura habentur loca, in quibus Par-  
 ticula Θεός absque articulo, verum DEUM denotat; vide  
 Matth. IV. v. 4. ubi homo dicitur vivere verbo, quod egre-  
 ditur διὰ στόματ Θεῶ. & Job. I. v. 18. dicitur: Θεὸν ἐδῆς  
 ἐώρακε. Quis autem negaret ibi de vero DEO sermonem  
 esse. Imo nec desunt loca, ubi Christus dicitur Θεός cum  
 articulo, vide Job. XX. v. 28. ubi Thomas ad Christum  
 dicit ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Addunt denique nonnulli  
 rationem Grammaticam, cur Johannes articulum ὁ omi-  
 serit, nempe ad prædicati designationem, ut demonstret  
 nomen



§ (15) §

nomen *Deus* esse prædicatum, cui articulus usitate addi non soleat.

§. VIII.

Christum verum DEUM esse probatur (IV.) ex operibus merè divinis, qualia sunt (1) Creatio *Pf. XXXIII. v. 6. & Job. I. v. 3. Hebr. I. v. 10.* (2) rerum creaturarum conservatio *Ebr. I. v. 3. Job. V. v. 17.* (3) generis humani redemptio *Es. LXIII. v. 3. Rom. V. v. 6. 8. 11.* (4) miraculorum effectio & mortuorum resuscitatio *Job. XIV. v. 11. Job. XI. v. 43. Matth. IX. v. 25. & hæc miracula propria virtute edidit, quia Apostolis suis potestatem edidit ægrotos sanandi Matth. X. v. 8. dæmones ejiciendi, mortuos resuscitandi Luc. IX. v. 1. (5) Missio Spiritus S. Job. XVI. v. 7. & Cap. XX. v. 22. (6) Peccatorum remissio Matth. IX. v. 2. 6. (7) Judicii administratio Matth. XXV. v. 31. *seqq. Job. V. v. 28. Act. X. v. 42.* (8) æternæ Beatitudinis Collatio *Job. X. v. 28.**

§. IX.

Deitas Christi probatur (V) ex cultu divino (1) enim in nomine ipsius baptizari debemus *Matth. XXVIII. v. 19.* (2) jubemur in ipsum credere *Job. XIV. v. 1. & hinc fides salvificans vocatur fides in Christum Rom. III. v. 26.* (3) adorare & invocare eum *Hebr. I. v. 6. & Rom. XIV. v. 11.* Et quæ alia indubitata *νεπηθήσια* Christum verum DEUM cum Patre esse indubitato demonstrant.

CAP. III.

De

*Humana Christi Natura.*

§. I.

**H**ic æternus DEI Filius, cujus Divinitatem superiori capite probavimus, in temporis plenitudine veram & perfectam humanitatem virtute Spiritus S. absque ullo virili semine, in utero Mariæ castæ, sanctæque semper Virginis conceptam, propria tamen personalitate destitutam, in unitatem suæ personæ assumpsit.

§. II.

Quæritur hic: cur non Pater vel Spiritus S. fuerit incarnatus? Resp. (1) Irenæus libr. 3. c. 20. dicit: Ideo Filium DEI oportuit hominem fieri, ut nos, qui eramus Filii iræ, in adoptionem Filiorum DEI reciperemur. (2) Pater non assumpsit humanam naturam, quia est Pater, & persona gignens, Filius assumpsit humanam naturam, quia proprium Filii est nasci, cumque sit æternus Filius DEI, sit & Filius hominis, & æterna Patris imago conjungit se humanæ naturæ ad imaginem DEI conditæ, sicut scriptum est. *Proverb. VIII. v. 31.* delitiæ meæ sunt, esse cum Filiis hominum ut *Geier.* hic connotat, & delicias has *Walther.* præf. Tr. de Manna benè applicat. Alias rationes ex Patribus desumptas videtis apud *Gerbard. L. IV. §. 104. Himmel. in Syntagm. Dissp. Theol. Dissp. 12. de Persona Christi §. 14.*

§. III.

Ad hanc incarnationem Filii DEI, tanquam causa efficiens concurrat tota SS. Trinitas, scilicet *principativè.* Pater quidem Incarnationem decernendo, Filius se ipsum DEO Patri & mundi Redemptorem offerendo. Spiritus S. massam sanguineam in utero Mariæ Virginis, ex qua produci debebat humana Christi natura, ab omni peccati labe purificando. Solus verò Filius concurrat  
termi-

terminativè, quia is solus humanam naturam in unitatem suæ personæ assumpsit. Id quod veteres hoc egregio illustrarunt simili desumpto à tribus puellis, quæ vel unam vestem texerunt, vel unam coronam conficiunt, quæ tamen uni saltem earundem imponitur & adaptatur.

## §. IV.

Assumens igitur est Persona Filii DEI, quod probamus ex *Job. I. v. 14.* ubi dicitur: ὁ λόγος σαρκὸς ἐγένετο, & sic assumens carnem ὁ λόγος constituitur. Addo quod per assumptionem hanc, quædam natura in melius sit evecta, Persona vero Filii DEI in melius evehi non potest, E. non erit assumpta, sed potius assumens. Assumptum autem est humana natura, eaque tum partibus essentialibus, tum integrantibus perfecta, omni tamen peccati labe immunis.

## §. V.

Probamus autem humanæ naturæ in Christo veritatem (α) ex diserta hominis Appellatione, expressè enim vocatur homo. *Luc. XXIII. v. 47. I. Tim. II. v. 5. Filius hominis Matth. VIII. v. 20. cap. XVI. v. 13.* quod ex phrasi hebræa idem est ac homo, vocatur etiam Semen Mulieris *Gen. III. v. 15. Semen Abrahæ Hebr. II. v. 16.* (β) Quia ipsi tribuuntur essentielles hominis partes, anima sc. & corpus. De anima rationali legantur *Matth. XXVI. v. 38.* ubi Christus conqueritur *περιλυπὸς ἐστίν ἡ ψυχὴ μου ἕως θανάτου* & *Matth. XXVII. v. 50. Job. X. v. 15.* hinc quoque Christo tribuitur Sapientia, Intelligentia & Voluntas *Es. VII. v. 15. Luc. II. v. ult.* De Corpore vero similiter testatur Scriptura, *Matth. XXVII. v. 58. Marc. XIV. v. 8. & v. 22.* hinc dicitur habere carnem & ossa *Luc. XXIV. v. 39* manus & pedes *ibid.* Patet id ipsum (γ) ex affectionibus humanis,

C

quæ

quæ ipsi tribuuntur, sic toti humanæ ejus naturæ tribuitur, creatum, finitum esse, uni autem parti, nempe animæ, intelligentem & volentem esse. Dicitur etiam proficere sapientia & ætate *Luc. II. v. ult.* non *Φαυνομένως*, sed *ὄντως*, nam sicut revera crevit ætate & staturâ, ita etiam revera dicitur crevisse sapientia. Hoc quidem difficile videtur dictu, cum in Christo habitent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, dicente Apostolo *Col. II. v. 9.* Sed sciendum, quod dona in Christo sint duplicia, quædam personalia, & infinita, seu ipsa Divinitas humanæ Christi Naturæ communicata, quædam vero habitualia & finita, quæ in humanam Christi naturam ita infusa, ut in ea formaliter, habitualiter & subjectivè inhæreant. De prioribus loquitur Apostolus *Col. II. v. 9.* de posterioribus vero *Lucas cap. II. v. ult.* & nos cum ipso. vide *Himmel. Syntag. Disp. I. Tb. 14. (δ)* ex genealogia ejus, quæ quoad lineam ascendentem ap. *Luc. III. v. 23. seqq.* quoad descendentem verò ap. *Matth. cap. 1.* recensetur. quam in peculiari dissertatione brevi sumus exhibituri. In specie vero Christi humanam naturam nostris esse consubstantialem perspicuè docetur *Hebr. II. v. 11.* quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque eorundem factus est particeps: hinc etiam nos fratres suos vocat *Job. XX. v. 17.*

§. VI.

Non igitur audiendi sunt veteres hæretici, Saturninus & Basilides, qui Seculo I. statim post Christum naturam hæresin suam sparserunt, Christum non assumpsisse verum corpus humanum, sed saltem in phantasmate apparuisse, trahentes huc (α) *Rom. VIII. v. 3.* ubi DEUS dicitur misisse Filium suum *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας* in simili-

similitudinem carnis peccati. Sed Resp. non simpliciter dicit Apostolus: DEUM misisse Filium in similitudinem carnis, sed cum addito, in similitudinem carnis peccati. Non igitur negat hic veram substantiam humanæ naturæ, quin potius eandem *Cap. Præced. I. v. 3.* ubi Christum dixit natum ex semine Davidis secundum carnem, adstruit. Sed dicit: Christum in similitudinem carnis peccati missum esse i. e. apparuisse hominibus, Christum æque peccaminosam habuisse carnem, licet revera non noverit peccatum *II. Cor. V. v. 21.* & à peccatoribus fuerit segregatus *Hebr. VII. v. 26.* Et scribit eleganter *Augustinus Serm. 31.* in loc. *Rom. VIII. v. 3.* *vere carnem habebat Christus, peccati autem carnem videbatur habere.* Adhibuit igitur Apostolus vocabulum ὁμοιωμάτων, ut probaret, Christum se sponte omnibus infirmitatibus, quæ comitari solent nostram corruptam carnem, subjecisse, ac si ipse haberet carnem peccatricem, quò nostras infirmitates sanaret. (β) objiciunt locum *Philipp. II. v. 7.* ubi Christus in similitudine hominum constitutus, ἐν ἡμέραις κατὰ ὄψιν καὶ φαντασίαν esse hominem. Resp. similitudo non excludit sed infert identitatem aliquantam. adeò Paulus hic non evertit veram Christi humanitatem, sed admirandam Christi exinanitionem ostendit, qua nos ad humilitatem adhortatur. Deinde vox ἡμέραι non per se, nedum semper evertit substantiæ veritatem, sed infert aliquam speciei congruitatem, cujus ἡμέραι dicitur, id quod apparet *ex cap. 3. Epistola ad Philipp. v. 21.* ubi dicitur Christus corpus humanitatis nostræ μετασχηματίζει in extrema die. Quod sanè non fiet corpus nostrum in φάντασμα redigendo, sed depositis infirmitatibus glorificando.

Nec audiendi sunt illi, qui concesserunt quidem, carnem Christi esse veram carnem, negarunt autem fuisse nostræ *ομοσσιον*, unde Christi corpus è cœlo allatum, & vel ex materia siderea, vel elementari, vel ipsa divina essentia formatum esse dixerunt, & tales fuerunt Valentiani. errorem hunc probare conati sunt ex *I. Cor. XV. v. 47.* ubi dicitur Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse Dominus de Cœlo. Resp. ob unionem personalem, & inde resultantem communicationem, idiomatum hoc proprium divinæ naturæ: esse Dominum de cœlo, verè & realiter prædicari de Christo homine, sicuti eodem sensu Filius Mariæ, Filius DEI vocatur *Matth. III. v. 17.* minimè autem infertur: Christus Dominus de Cœlo dicitur, E. quicquid habet, illud cœlestis est naturæ & è cœlo allatum: sicut non sequitur: Primus homo Adam è terra terrenus E. omnia quæ homo habet, & per consequens etiam anima è terra sunt.

§. VIII.

Nec sanum Apollinaristarum dogma, ac si Christus non assumpsisset animam rationalem, ex hoc imprimis principio, quod humana natura Christi in Scriptura S. sæpissimè appelletur caro. e. g. *Job. I. v. 14.* verbum caro factum est. Verum textus sufficienter ostendit, verba hæc non propriè, sed synecdochicè esse ad evidentiam sensuum circa talem, quàm verè sit incarnatus, intelligenda, præsertim cum aliis in locis Christo anima rationalis cum omnibus facultatibus, ut supra audivimus, tribuatur. Recte igitur Augustinus Pater ille augustissimus contra hos hæreticos disputans *lib. de fide & Symbol. ad Art. IV. Tom. III.* inquit: *Quum homo, excepta forma*  
mem-

membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet à pecore, nisi rationali spiritu, qui mens etiam nominatur, quomodo sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit DEI sapientia, quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientia, & quod hominis proprium est.

§. IX.

Et cum hac humana natura Christus etiam, sed liberè: assumpsit infirmitates nostras, non vero infirmitates morales, ut sunt peccata, utpote à quibus plane immunis fuit *Ebr. VII. v. 26.* sed infirmitates naturales, quæ, cum sint vel personales vel communes, h. l. non intelligimus personales, quæ individuo alicui ingruunt, præter statum communem, ut sunt morbi varii, cæcitas, surditas, podagra. &c. has enim assumere generi humano non expediebat, sed intelligimus infirmitates communes, ut sunt fames, sitis, defatigatio, tristitia, timor, amor. &c. *Job. XIX. v. 28. Marc. XIV. v. 33. &c.*

§. X.

Has vero infirmitates Christum in resurrectione sua, ubi status exaltationis cœpit initium, deposuisse, probamus inde, quia & nos in resurrectione omnes infirmitates nobis in hac vita adhærentes deponemus, docente Apostolo *I. Cor. XV. v. 42. 43. 44. & Apoc. VII. v. 16.* Multo magis igitur Christus eas deposuisse credendus est, utpote cujus resurrectio exemplum & certificatio de nostra resurrectione est. Addo: quod Christus infirmitates hæc non ex necessitate, sed ex peculiari *ἀικονομία* seu dispensatione assumpsit. Liberè igitur easdem rursus deponere potuit. Videatur summè Reverendi Domini Præsidis *Dissertatio de Immutatione superstitum in Fine Mundi.*

Hæc humana autem natura, quamvis sit omnibus numeris perfecta, propria tamen non gaudet personalitate, sed subsistit subsistentia τῆ λόγῃ, quia enim vera & intima unio humanæ naturæ cum Filio DEI requirebatur, ac unus saltem debuit esse inter DEUM & hominem Mediator *I. Tim. II. v. 5.* isque Θεὸν-ἄνθρωπος, necessum erat unam harum naturarum, divinam vel humanam sinè propria sua subsistentia in eminentiorem assumi. Nec id imperfectionem arguit, cum non subsistentia, sed existentia plenam naturæ perfectionem largiatur; subsistentia, quidem sit quidem complementum aliquod; verùm externum, ratione actualis existentia, nec enim ejus εἶναι ingreditur, cum sit conceptus dependentia negata ab alio, *Conf. Jac. Martini, Part. I. Disp. 13. n. 12.* Jam de divina illud erat ἐκ τῶν ἀδυνάτων & ex impossibilibus, illa enim, cum in DEUM ens simplicissimum compositio nulla cadat, ab ὑποστάσει & subsistentia ejus realiter non differt, & si differre aliquibus dicatur, fit saltem secundum nostrum concipiendi modum. Igitur conveniens & salutare ad finem erat, humanam naturam sine naturali subsistentiâ conjungi. Illi perfectiva τῆ λόγῃ. Rationem vero, quare Christus non assumpserit personam hominis, reddit Dominus D. *Himmelius, Synt. Disp. XII. Tb. 29.* quia *caro illa & anima illa non erat prius unita in unam personam, sed λόγῃ duobec accipiendo univit, & uniendo accepit.* Neque prius humana natura fuit, & postea assumpta fuit, sed ut *Danascenus loquitur: libr. 3. de orthodoxa fide cap. 2. ἀμα σὰρξ, ἀμα θεὸς λόγῃ σὰρξ* i. e. simul caro, simul DEI verbi caro.



Sed dicat quis: substantia humana à natura humana realiter distingui nequit, nam substantia quoad rem nihil est aliud, quam humana natura actu existens Resp. duabus manibus largimur, ex universa natura nulum posse dari exemplum, ubi essentia & natura sit sine substantia: adeoque sine hoc Myfterio *ἑσαρκώσεως τῆς λόγῃ* de hoc discrimine nihil quicquam nobis constare. Quia vero inculcant Sacrae literæ, sanctum illud, quod natum est ex Maria Virgine, esse Filium DEI altissimi, item: unum esse Mediatorem inter DEUM & hominem Jesum Christum. *Luc. I. v. 35. & I. Tim. II. v. 5.* hoc ipso indicant, unam saltem esse personam, & per consequens, unam duarum harum naturarum, sine propria *ὑποστάσει* in alterius naturæ personalitate comprehendi & subsistere, quæ utrinque immensum sufficit, ne quis Nestorii motum curet, de quo certamine *Chebnitius LL. P. I. p. 76. & seqq.* Anathematismos reciprocos recenset. ac *p. 87.* annotat recrudescentem, cui fibulam imponit *Form. Concord. ar. 8.*

## §. XIII.

Nec obstat huic nostro asserto, quod tamen unio dicatur personalis. Dicitur enim personalis, non ratione terminorum à quibus, ac si persona personæ esset unita; sic enim non esset unus Christus *I. Cor. VIII. v. 6.* sed duo, non unus Mediator *I. Tim. II. v. 5.* sed duo Mediatores, sed respectu termini ad quem, quia duæ naturæ divina & humana ad unam personam singularem constituendam sunt unitæ.

## §. XIV.

Neque hoc ipso, dum humanæ Christi naturæ propriam

priam denegamus subsistentiam, eamque in ὑποστάσει τῆς λόγῃ subsistere asserimus, Eutychianismum introducimus. Eutyches enim Abbas Constantinopolitanus *A. C. 447.* docuit: *Christum quidem ex duabus naturis esse, sed post unionem in una natura existere. Ideoque humanam naturam, cum accesserit divina, fuisse absorptam, & in divinitatem conversam.* Quæ sententia, sicut Scripturæ S. è diametro est contraria, ita *Anno 451.* in concilio œcumenico IV. nempe Chalcedonensi, ab Imperatore Martino coacto, cui DCXXX. Episcopi interfuerunt, rectè fuit damnata. Confer. *Caranz. p. 251.* Nos vero, quando duabus naturis in Christo unam saltem ὑπόστασιν tribuimus, non hoc volumus, ac si post unionem humana natura à divina absorpta, vel in eandem conversa sit, sed quod humana natura in se, propria personalitate destituta, in ὑποστάσει τῆς λόγῃ subsistat, salva interim manente ejusdem essentia.

§. XV.

Sicut autem in Christo duæ sunt naturæ, ita etiam in eo sunt duæ à se invicem Distinctæ à naturis hisce provenientes voluntates, divina & humana, id quod patet ex *Matth. XXVI. v. 39. Marc. XIV. v. 36. Luc. XXII. v. 42.* Hæ tamen voluntates sibi invicem non contrariantur, quin potius suavissimè conspirant. Humana enim natura, unicè in divina acquiescit, & quanquam mœstitiam in corde, quæ naturalis est, sentiat, tamen omnia patientes fert, cum sciat, citra detrimentum gloriæ divinæ & salutis humanæ, aliter esse non posse; ut ex citatis locis patet. Quibus jungi potest locus *Es. LIII. v. 7.* ubi dicitur: non aperuisse os suum, h. e. humanam ejus voluntatem divinæ se facile submitisse, & contentam fuisse beneplacito divino.

§. XVI.

Hoc observandum est contra Monotheletas, qui Seculo VI. Vel juxta alios Seculo VII. Autoribus Cyro Episcopo Alexandrino, & Sergio Patriarcha Constantinopolitano, hæresin sparserunt, docendo: unam saltem, in Christo voluntatem, eamque divinam esse. Quæ hæresis deinde in Concilio Oecumenico Constantinopolitano VI. Anno 680. & 81. celebrato, rectè damnata est. Confer. *Caranza* p. 445. & *Ezeib.* L. IV. §. 287.

## CAP. IV.

De

### *Unione Personali.*

§. I.

**A**ctum hætenus est de duabus naturis in Christo seorsim spectatis, earumque veritas seorsim probata est. Agendum nunc erit de personali earundem unione. Non enim duæ hæ naturæ seorsim subsistunt, sed personali, eaque arctissima unione inter se uniuntur, dum humanitas propriæ, ut supra ostendimus, personalitatis non indiga, in persona τῆς λόγῃ longè feliciter subsistit, de qua unione nunc pluribus agendum.

§. II.

Dicitur autem hæc unio, personalis, uti jam supra indicavimus *cap. 3. §. 13.* ratione termini ad quem, quia duæ naturæ divina & humana ad unam personam singularem constituendam sunt unitæ. item ratione termini in quo, quia duæ hæ naturæ in una personâ τῆς λόγῃ uniuntur.

D

§. III.

Sumi autem illa in Scholis Theologorum confuevit, vel pro actu uniendi, vel pro unitorum statu. Unio personalis pro actu sumpta dicitur etiam aliàs unio, estque juxta *B. Quensted. P. III. c. 3. m. 1. S. I. th. 20. seqq.* post *Chemnit. Gerhard. L. IV. c. 7. n. 101. & B. Musæum, in LL. suis Theol. Part. III. Sect. I. cap. 2. Th. 11.* nihil aliud quam actio divina, qua humanæ naturæ propria subsistentia destitutæ, communicata est hypostasis seu subsistentia τῆς λόγῃς, ita ut duæ distinctæ naturæ divina & humana, salvis earum proprietatibus, in una hypostasi subsistentes unam constituent personam.

## §. IV.

Et hæc unio duarum naturarum in Christo alio nomine dici solet: ἐνσάρκωσις, incarnatio. Ubi tamen tenendum, quod, licet inter se hæc duo unio pro actu sumpta, & incarnatio, non differant, differant tamen in modo loquendi (1) enim unio formaliter saltem dicit naturarum conjunctionem, quod plura ad unum suppositum sint unita: incarnatio vero non dicit unionem tantum, sed simul naturæ humanæ productionem ut partem connotat & infert. (2) Unio est naturarum, quæ unitæ sunt, incarnatio vero propriè est personæ: quamvis non negemus, rectè etiam dici: ipsam divinitatem, sc. in persona Filii DEI, esse incarnatam. (3) Unio est reciproca, & rectè dico: humana natura est unita cum divina, & divina cum humana: Ast incarnatio non est reciproca, sic dico quidem rectissimè Filius DEI est incarnatus: sed de humana natura idem non rectè dicitur.

## §. V.

Quod vero unionem, pro unitorum termino & statu sumptam concernit? formalis ejus ratio consistit (1) in arctissima naturarum praesentia, quæ ex quavis unionem fluit, unio enim nihil aliud est quam rerum conjunctio, ad unum tertium constituendum, quæ sane conjunctio necessariò veram & realem rerum conjunctarum praesentiam indicat, ita, ut si unum unitum ab altero separem, ipsam unionem solvam. Exemplo res fiet clarior. Unitata in homine sunt anima & corpus, jam vero, si animam à corpore absentem considero, non possum non quin omnem solvam inter animam & corpus unionem. Cum igitur adversariis fatentibus, vera duarum in Christo naturarum sit unio, vera & mutua etiam inter eas erit praesentia. Neque huic obstat quod nobis objiciatur canon ille metaphysicus: finitum non est capax infiniti, non enim est simpliciter verus, sed limitandus h. m. finitum non est capax infiniti per inclusionem Physicam. & sic concedimus totum argumentum, non enim mens nostra est, ac si humana natura localiter & inclusione physica divinam comprehendat, sed hoc volumus: humanam naturam per communicationem supernaturalem capere *λόγον* infinitum, vel brevius, vocabulum capere sumitur hic non pro locali inclusione, sed pro sola possessione, quam humana natura propter unionem obtinet, *ἐν ὑπόστασι* τῷ, verè in complexu tali sit, communicet, & idem suppositum unà reddat.

§. VI.

(β) Consistit unio hæc personalis in profundissima naturarum *περιχωρήσει* seu immeatione, eaque non naturali, sed supernaturali, & quidem non essentiali sed hy-

postatica & personali, qua Filius DEI tanquam purissimus actus totam carnem assumptam penetrat, adeò, ut nihil in carne sit, quod non τῷ λόγῳ sit repletum, citra omnem tamen confusionem. Declarare hoc consueverunt veteres non ineleganter simili à ferro ignito desumpto: quemadmodum enim ignis omnes ferri particulas permeat, iisque virtutem suam realiter communicat, ita & divinitas humanitatem totam permeat, eique se ipsam communicando illam quasi Dificat. hoc tamen sine ulla imperfectione intellectum volumus. Ignis enim ferum occupat successivè, i. e. unam ejus partem post alteram, divinitas autem humanam naturam permeat uno & simplicissimo actu, eamque actuat & perficit, ad modum animæ rationalis respectu corporis.

§. VII.

Denique (γ) unio personalis pro unitorum statu sumpta, consistit in unius ὑφισταμένης constitutione mutua. Hic enim est finis hujus unionis respectu naturarum, ut unum ὑφιστάμενον constituent, non enim unaquæque natura seorsim subsistit, sed utræque unam personam per, ac propter unionem personalem constituent, ita ut in Christo non detur ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ alia atque alia persona, ut prisca Patres loquuntur. Scriptura enim testatur: Christum unum tantum esse Dominum *I. Cor. VIII. v. 6.* unum mediatorem *I. Tim. II. v. 5.* & idem ille qui dicitur Filius DEI viventis, dicitur etiam Filius hominis *Luc. I. v. 32. 35.* Insuper ita argumentamur: ubi diversissimæ actiones è diversis naturis originem trahentes, tribuuntur uni tanquam uni, ibi unica tantum est persona, non obstante naturarum dualitate. Atqui Christo diversissimæ actiones è diversis naturis originem trahentes tribuuntur tanquam uni.

uni. E. Christus unica saltem est persona. Major clara est, Minor infra ex communicat: idiom pluribus partebit.

§. VIII.

Quomodo vero Patres in Synodo Chalcedonensi de hac unione personali sint locuti, paucis adhuc commemorabimus. Dicitur illis hæc unio facta (1) *ἰσούχως καὶ ἀτρέπτως* inconfusè & inconvertibiliter: ut distinctæ ante & post unionem manserint naturæ earumque proprietates. Id quod oppositum fuit Eutychianis, qui docebant, duas quidem fuisse naturas ante unionem, post unionem autem ex duabus factam esse unam (2) *ἀδιασπρέτως καὶ ἀχωρίτως* indivise & inseparabiliter. Quod, cum negaret Nestorius, Episcopus Constantinopolitanus, & contra doceret hominem Christum seorsim in utero Mariæ Virginis esse conceptum: in lucem vero editum cum divina conjunctum natura, non tamen aliter quam quomodo cum aliis Sanctis unitur *λόγῳ*, ita ut nulla naturarum facta sit unio, & neutra alteri quicquam largiatur, eaque propter Mariam non *θεοτόκον* sed *χειροτόκον* esse dicendum, ob id dico, in Concilio Oecumenico, quod Anno 434. Ephesi Auctoritate Imperatoris Theodosii erat congregatum, & postea in Chalcedonensi similiter generaliter & œcumenico justè damnatus fuit. (3) Addit Damascenus L. 3. de Orthodoxa Fide c. 3. 5. 7. *ἀδιατάτως* indistincter, quod nullo locorum intervallo à se distent hæc duæ naturæ, divina & humana. Unde nec in mortis triduo à naturâ divulsa est; Idem d. l. c. 27. Conf. d. Jac. Martini D. 13. n. 76. seqq.

§. IX.

Fluit ex unione hac personali communicatio tum

D 3

naturæ

naturarum, tum idiomatum. Posteriores ad sequens caput differimus, de Priore autem jam erimus solliciti.

§. X.

Quando autem dicimus communicationem naturarum fluere ex unione personali, non id volumus, ac si naturarum communicatio re vera sit posterior unione personali, nam communicatio naturarum quoad rem non differt ab ipsa unione personali pro statu sumpta, sed hæc in illa formaliter consistit; à nobis tamen ut distincta ab unione concipitur: prius enim sese mihi offert conceptus unionis, quam naturarum communicationis.

§. XI.

Est vero communicatio naturarum, definiente *B. Gerbardo in Dispp. Isagog. cap. 8. de Christo §. 13.* nihil aliud, quam arctissima & intima duarum in Christo naturarum κοινωνία, qua ὁ λόγος humanam naturam permeat, perficit, ac inhabitat, sibi que appropriat, ita, ut ex utraque sibi invicem communicata fiat unum incommunicabile, una sc. persona, ac tales resultent prædicationes, per quas concretum unius naturæ, de concreto alterius naturæ prædicetur, ac præmonet *Chemnitius de Duab. Nat. in C. c. 4.* cauto opus esse, ne brevitatis Definitionis dubiis & motibus serviat, unde & plenioram tradit, & c. 5. partitum probat. Conf. *Quensted. d. 1. Tb. 26.*

§. XII.

Ejusmodi communicationem vero factam esse, probatur (1) Scripturæ dictis *Hebr. II. v. 14.* ubi Christus dicitur particeps factus carnis & sanguinis sicut pueri & *Col. II. v. 9.* dicit Paulus: in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ubi per vocabulum σωματικῶς non tam modus, quam subjectum unionis notatur. Vult  
ita-



itaque Apostolus hoc significare, quod tota divinitas & Majestas divina in assumpta Christi humanitate habet seque illi revera communicet. uti rectè vindicat *Calov.* contra *Grot.* cum Augustino, Damasceno & aliis, ut effugia Crocii compedit. Probatur hoc ipsum (2) rationibus, nam (1) DEUS de homine, & homo de DEO in concreto verè ac realiter prædicatur, ut infra ex communicatione idiomatum clarius patebit. hoc vero nequaquam fieri posset, nisi facta esset naturarum communicatio. (β) In superioribus diximus, quod humana natura non habeat propriam ὑπόστασιν, sed λόγον humanæ naturæ suam ὑπόστασιν communicasse. Hoc igitur si verum, uti certè est, sequitur, quod sicut ὑπόστασις est communicata, ita & ipsa divina natura, cujus est hypostasis, carni communicata sit, cum hypostasis τῆ λόγου, & divina ejus natura realiter non differant. (γ) Hoc ipsum constat ex mutua naturarum περιχωρήσει, in qua unionem personalem etiam consistere supra diximus. Cum vero hæc citra naturarum communicationem sit impossibilis, sequitur, hac concessa, & illam concedendam esse.

§. XIII.

Resultant igitur ex communicatione naturarum, uti rectè monet *B. Gerbardus* in adducta definitione, tales prædicationes, per quas concretum unius naturæ, de concreto alterius naturæ verè & realiter prædicatur. Et hæc prædicationes aliàs dici solent personales.

§. XIV.

In genere autem hic notandum: in Articulo de Christo concreta & abstracta duobus modis sumi, (1) prout sunt Personæ, (2) prout sunt naturarum. Concreta personæ sunt vocabula, quæ utramque naturam cum sua hypostasi-

postasi indicant, qualia sunt: Immanuel, Jesus, Christus. Concreta autem Naturarum alteram saltem naturam cum connotatione hypostaseos exhibent. Et sunt vel concreta divinæ, vel humanæ naturæ, concreta divinæ naturæ sunt: DEUS, DEI Filius, Jehova. Concreta autem humanæ naturæ sunt homo, filius hominis, Semen Abrahæ &c. Quod verò abstracta concernit, illa iterum vel sunt personæ vel naturarum. abstracta personæ coincidunt cum concretis naturæ. Abstracta vero naturarum sunt, quibus significantur naturæ secundum se, non connotata simul subsistentia, seu brevius: quæ nudam formam significant, nempe intra unionem hypostaticam spectatam, sine suppositi vel subsistentiæ connotatione e. g. Deitas, Humanitas.

§. XV.

In prædicationibus igitur personalibus concretum personæ de eodem concreto ejusdem personæ non prædicatur, non enim dico: Christus est Christus, Immanuel, est Immanuel, hæc prædicatio enim esset nugatoria. Nec abstractum unius naturæ prædicatur de abstracto alterius naturæ, nempe in casu recto, quod *B. Musæus* omnino addendum indicat, non enim rectè dico: divinitas est humanitas, vel humanitas est divinitas, quanquam concreta naturæ de se invicem possint prædicari in casu obliquo h. m. humana natura est unita divinæ naturæ. vide *Mus. LL. Theol. in Loc. de Christo Tb. 13.* Sed dicitur propriè prædicatio personalis, quando concretum unius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ in casu recto. Sic recte dico: DEUS est Homo. Ubi per vocabulum DEI divinitas una cum sua hypostasi, per vocem autem Hominis, natura humana cum eadem hypostasi intelligitur.

§. XVI.

Fundamentum autem propositionum personalium est unio hypostatica; Modus enim prædicandi sequitur modum essendi, & pro ut ex parte rei unum alteri convenit, ita etiam unum de altero prædicatur. Unde simul apparet, quænam sit ratio, cur abstractum unius naturæ de abstracto alterius naturæ in casu recto non possit prædicari, nempe quia neque natura humana convenit divinæ, nec divina humanæ, nisi in unitate personæ, & propter unionem hypostaticam. Ergo etiam una natura de altera non prædicatur, nisi quatenus ei personaliter unita est, & ambæ in una *ὑπόστασι* subsistunt, adeoque neutra prædicari potest de altera nisi in concreto, & pro ut ipsam connotat subsistentiam. Id quod *B. Musæus*, pro laudabili more ipsi recepto, simili quodam accuratè & perspicuè illustrat, dum in citatis *LL. Theol. L. de Christo th. 13.* dicit: Eidem subjecto, nempe lacti, inest albedo & dulcedo, nec tamen recte dico albedo est dulcedo, recte autem dico album est dulce, ratio est: quia dulcedo non convenit albedini nisi ratione subjecti, cui utraque inest, unde etiam de se invicem prædicari non possunt nisi concretivè, quatenus subjectum, in quo uniuntur, simul involvunt, quod pridem *B. Jac. Martini Disp. 14. Logico*, ut profitetur habitu, discrevit contra *Cinglianos §. 41. seqq.* ad denominativum modum prædicandi talem *§. 103.* reduxit, & in vulgaribus exemplis ostendit; ubi e. c. duo accidentia in communi subjecto uniuntur, quæ quidem in abstracto de se invicem prædicari non possint, in concreto tamen, quatenus unitatem subjecti includunt, possint: ita & hic duas naturas, quæ in abstracto quidem de se invicem prædicari non possint, in con-

E

creto

creto autem possint. Quod & arguunt nomina Abstracti & concreti, quæ propria sunt denominatorum.

## §. XVII.

Hæ autem prædicationes personales ad nullum prædicationum Logicarum modum referri possunt, quia duo substantiva disparata, ut sunt DEUS & Homo, in casu recto de se invicem non possunt prædicari. Et hinc hæ prædicationes personales Theologis nostris dicuntur inusitata, non tamen docente D. *Schelgnigio*, in Hypomnematis in Hutter. sub respectu ad Logicam Christianam & Sacram, cum plura harum prædicationum exempla in Scriptura S. inveniuntur, sed tum ad Logicam gentilem Aristotelis, Porphyrii, aliorumque, apud quos hujus prædicationis exempla non licet invenire. tum etiam propter mysterii, quod per has prædicationes exprimitur, singularitatem. Uti laudatus *Martini* d. I. observavit, & Philosophi, ac Porphyrii modos prædicandi esse materiales, §. 90. & defectum Logicæ apprehendit §. 110. adeò dandum esse, modum tertium & peculiarem, nempe hypostaticum, de quo Logica & humana ratio, quatenus divinitus non est informata nihil sciat aut intelligat. Quod accuratè persequitur contra Scholasticos *B. Slevogt. Disp.* de Prædicatione, solum materiæ tales prædicationes dici Inusitatas.

## §. XVIII.

Putant tamen quidam, quod, si ad certum genus prædicationum logicarum referendæ sint, quod accidentalibus annumerari possint, quia in prædicationibus personalibus prædicatum nunquam sit de essentia subjecti, id quod ad prædicationem accidentalem requiratur. Verum, quia & illæ dicuntur accidentales prædicationes, qua-

quarum prædicata cum subjectis uniuntur per vinculum  
accidentale, & hanc posteriorem acceptionem sibi quis  
facile imaginari possit, si audiat illas accidentalibus annu-  
merari, insuper hæc dictio non admodum sit necessaria,  
sed offensiva simpliciorum, hinc alii ab ea plane obsti-  
nendum judicant. Confer *Gerhardus latè L. IV. c. IX.*  
*e. c. §. 161. Meisner. Phil. Sobr. P. I. S. I. q. 11. Jac. Marti-*  
*ni. Colleg. Anti-Caly. D. 19. 20. quos probat Quenstedt d. c. 3.*  
*tb. 46. ad 50. Sed hæc sufficiant de unione personali.*

C A P. V.

DE

*Communicatione Idiomatum.*

§. I.  
**D**iximus in superiori capite, & quidem §. 9. ex unio-  
ne personali non solum fluere communicationem  
naturalium, sed etiam communicationem idioma-  
tum, de qua posteriori hoc capite pluribus nunc erit  
agendum.

§. II.

Ubi primo loco notandum, quod vocabulum illud  
communicationis idiomatum in Scriptura S. non lega-  
tur, sed quod à Doctoribus Ecclesiæ, qui rem ipsam in-  
ea deprehenderunt, fuerit introductum, ut à Vigilio l. 5.  
contra Eutychem. Athanasio de Incarnatione Verbi. p. 50.  
& *Orat. 2. contra Arianos p. 167. it. Cyrillo de recta fide*  
*ad Theodosium p. 102. uti observat B. Reinesius in σωμα-*  
*τυποιήσαι LL. Theol.*

§. III.

Et quidem quod vocabulum idiomatis concernit,  
est origine græcum & latine significat proprietatem, ut  
ita

ita communicatio idiomatum idem sit ac communicatio proprietatum. ubi tamen velim observes, vocem hanc h. l. non sumi in significatione strictiori, pro eo quod dicitur proprium in quarto modo, sed in significatione latiori, ita ut suo ambitu, præter affectiones etiam actiones & passiones complectatur.

## §. IV.

Sunt autem Idiomata pro diversitate naturarum, duplicia, nempe divinæ & humanæ naturæ. Idiomata divinæ naturæ sunt: esse æternum, infinitum, omnipotentem, omniscium, omnipræsentem &c. quæ, licet ab essentia divina realiter non differant, differunt tamen nostro concipiendi modo, & ex ea fluere à nobis concipiuntur. Idiomata autem humanæ naturæ sunt: constare carne & sanguine, esse finitum, creatum, pati, mori, esurire, sitire, & alia. uti recenset *Form. Concord. art. 9.*

## §. V.

Hæc naturarum idiomata modo de Concreto personæ, modo de concreto naturæ in Scriptura S. prædicari solent, hinc ordinis gratiâ à Doctoribus Theologis prædicationes idiomatum in tres classes distinguuntur, cui distinctioni ansam præbuerunt partim Calviniani, partim Stancaristæ. Cum enim Doctores nostri unico, nempe primo genere, ubi concretum unius naturæ de concreto alterius naturæ prædicatur, contenti essent, Calviniani hoc admissio, majestatem carni Christi communicatam esse negarunt, adeo, ut imprimis ubiunitatem carnis Christi à nostris adsertam, destructum irent; ut igitur Nostrates eo melius Adversarios convincere, & doctrinam hanc de Majestate carnis Christi distinctius proponere & explicare possent, peculiare genus huic doctrinæ

trinae ordinarunt. Et hinc secundum communicationis  
 Idiomatum genus inventum est. Postmodum verò Fran-  
 ciscus Stankarus, natione Italus, & Ebraeae linguae in Aca-  
 demia Regiomontana Professor P. surrexit, & asseruit:  
 Christum esse saltem Mediatorem nostrum secundum hu-  
 manam naturam. Occasio hujus erroris fuit error Andreae  
 Osiandri, nam cum ille doceret: Christum esse justitiam  
 nostram secundum divinam naturam tantum, nosque  
 justificari coram DEO, non per obedientiam Christi acti-  
 vam & passivam, sed per essentiam divinam in nobis ha-  
 bitantem, & pia ac justa opera facientem, quam justitiam  
 essentialem vocabat, & Stankarus, hunc errorem oppu-  
 gnaret, in alium huic oppositum errorem incidit, & do-  
 cuit: Christum esse Mediatorem nostrum secundum hu-  
 manam naturam tantum. videatur *B. Bechm. Hæresiol.*  
*p. 235.* Hoc ipso ergo moti Nostrates, ut obviam irent  
 Stankaro, in tertio communicationis idiomatum genere  
 asseruerunt ex Scripturae dictis, Christum non tantum se-  
 cundum divinam, sed & secundum humanam naturam,  
 Mediatorem nostrum esse. Et hinc tertium communica-  
 tionis idiomatum genus enatum est.

§. VI.

Quod vero ordinem horum generum concernit?  
 ille non omnibus idem est, quidam enim communica-  
 tionem Majestatis divinae H. N. factae ponunt loco tertio.  
 Quod etiam ab ipsa formula concordiae fit, cum tamen  
 alii illud referant loco secundo. Sed cum ordo non  
 spectet ad fidem, sed methodum docendi, quae arbitra-  
 ria est, nemini hac de re litem movebimus. Qui enim  
 communicationem divinae Majestatis secundo loco po-  
 nunt, illi observant ordinem naturae, prius enim agen-  
 dum

dum est de Majestate carni Christi communicata, antequam agatur de operibus officii, quippe, in quibus perficiendis humana natura non secundum proprietates tantum naturales, sed & secundum prerogativas divinas, per & propter unionem personalem ipsi communicatas, egit. *Formula Concordiæ* autem attendit ordinem doctrinæ, & ultimo loco tractat illud genus, quod maximè est controversum, & de quo paulo prolixius erat agendum. *B. Quæstet. d. l. §. 55.* idem refert, & ab ordine doctrinæ ob certamina tunc mota, *Chemnitio*, *Formula Concordiæ* & *Hunnio* patri probato, ad ordinem Naturæ cum *Gerhardo C. X.* flectit, & ἰδιοποίησιν, μεταποίησιν & νοητοποίησιν executus. Ita & nos sequemur ordinem naturæ, & prius agemus de communicatione Naturarum, deinde divinæ Majestatis, tandem etiam de communicatione Apotelesmatum.

§. VII.

Quod igitur primum genus communicationis idiomatum concernit? illud juxta communem Theologorum sententiam est, quando propria naturarum prædicantur vel de concreto naturæ, vel de concreto personæ, adeoque juxta illos ad hoc primum genus sequentes prædicationes spectant (1) quando propria divinæ naturæ prædicantur de concreto humanæ naturæ, ut filius hominis fuit ante Abrahamum. (2) Quando propria humanæ naturæ prædicantur de concreto divinæ naturæ e. g. DEUS est passus & mortuus. (3) Quando propria divinæ naturæ prædicantur de concreto personæ e. g. Christus universa condidit. (4) Quando propria humanæ naturæ prædicantur de concreto personæ e. g. Christus passus est in carne.

§. VIII.



Verum, si dicendum quod res est, varii hi conceptus, quos de hoc primo genere sibi quis formare debet, memoriam immune quantum turbant, & dum triplex subjectum, duplex autem prædicatum in hoc genere semper ante oculos habere debeat, hinc accidit, ut data ejusmodi prædicatione sæpè nesciat, ad quod genus illam referre debeat. taceo, quod hac ratione genus primum confundatur cum secundo, nam in hoc quoque prædicantur idiomata divina de concreto humanæ naturæ, quod idem tamen juxta commemoratam sententiam etiam in primo genere fit. Hæc perpendens B. Musæus in LL. Theol. P. inter alia dicit: videtur differentia causa rectius dici, quod ad 1. genus communicationis illa pertineant prædicationes, in quibus Idioma aliquod humanum de concreto divina natura prædicatur. Quando autem prædicatur idioma aliquod divinum de Christo homine, vel de natura humana seu in concreto, seu in abstracto, pertinet propositio hæc ad secundum communicationis genus. Aut igitur, pergit, secundum genus sub primo continetur, aut si non sub eo contineatur, necesse erit ut propositiones prædictas, in quibus prædicatum aliquod divinum dicitur de Christo homine, non ad primum, sed ad secundum communicationis genus referamus. hæc B. Musæus.

§. IX.

Nos igitur, memoriæ consulturi primum hoc genus ad pauciora reducimus, & omnia communicationis idiomatum genera ita disponemus, ut ex prædicato statim appareat ad quod hæc vel illa prædicatio referri debeat.

Primum itaque genus est: quando propria humanae naturae praedicantur de concreto divinae naturae.

§. XI.

Quid per propria humanae naturae h. l. intelligamus, in hoc ipso capite §. 3. jam indicavimus. Cum autem dicimus, propria naturae humanae praedicari in hoc genere de concreto divinae naturae, excludi hic volumus abstracta divinae naturae, utpote de quibus propria humanae naturae nullo modo possunt praedicari, nam recte quidem dico: DEUS est passus & mortuus, minus recte autem Deitas, aut natura divina est passa & mortua, est enim ἀπαθής καὶ ἀθάνατος impassibilis & immortalis.

§. XII.

Equidem Veteres quidam Doctores olim ita locuti sunt, ea intentione, ut Nestorianizantes & Samosatenzantes eò melius detegere & producere possent. Sed quicquid sit, ubi Scriptura tacet, ibi & nos tacere oportet, ne Adversariis ansam calumniandi praebemus, nosque de Eutychnismo suspectos reddamus.

§. XIII.

Et hinc Scriptura S., ut confusio naturarum evitetur, particulas quasdam discretivas, specificantes secundum quam naturam Christo hoc vel illud praedicatum competat, adhibet, nempe: κατὰ, ut Act. II, 30. Rom. XI, 3. c. IX. 5. ἐν, I. Petr. III, 18. Eph. II, 14. ἐξ II. Cor. XIII, 4. διὰ, Ebr. X, 20. ὅτι Job. V, 27. Jac. Martin. d. l. §. 33. Hinc Rom. I. v. 3. dicitur Filius DEI natus ex semine Davidis secundum carnem &c. Quae particulae non sunt χωριστικαί separativae, quae vim separandi & excludendi habeant, ut alteram naturam ab alterius communione avellant,

avellant, sed sunt διακριτικαί & διοριστικαί quæ naturas & earum proprietates distinguunt, & unicuique suum proprium assignant. Velim tamen adhuc notes quod hæ particulae non semper in Scriptura S. addi soleant, sed plerumque tantum subintelligantur, hinc ex circumstantia textus & analogia fidei colligi debent. vide *Hebr. 13. v. 8.* ubi dicitur: Jesus Christus heri & hodie & idem in Secula, ubi quidem nulla particula adjicitur, quæ specificaret secundum quam naturam Christus fuerit ab æterno, intelligendum tamen id esse de divina ejus natura, non solum analogia fidei suadet, sed & Scriptura S. alibi docet.

## §. XIV.

Pertinet itaque ad hoc primum genus unica tantum prædicatio, nempe quando propria humanæ naturæ prædicantur de concreto divinæ naturæ, seu de tota persona à divina natura denominata. Sic e. g. Filius Dei dicitur natus ex Muliere *Gal. 4. v. 4.* ipse Deus dicitur passus & Autor vitæ occisus *Act. 3. v. 15.* Dominus Gloriæ crucifixus *1. Cor. II. v. 8.* adeoque subjectum in hoc genere semper est proprium humanæ naturæ.

## §. XV.

Placet quidem non nullis ad hoc genus etiam referre illas prædicationes, in quibus vel propria divina, vel humana, prædicantur de concreto personæ, e. g. Christus est mortuus, Christus est omnipræsens, omnipotens. Imo non desunt, qui prædicationibus primi generis accensent illas, in quibus vel proprium naturæ humanæ prædicatur de concreto humanæ naturæ, qualis est: Filius Davidis est natus, mortuus &c. vel attributum divinum

de concreto divinæ naturæ, ut cum dico : **Filius Dei est æternus**, est omniscius.

§. XVI.

Verum hæ prædicationes omnes propriè loquendo non sunt prædicationes per communicationem, sed potius formales, in quibus prædicatum suo inest subiecto formaliter & per se. Ad prædicationes autem per communicationem requiritur, ut prædicata subiectis suis per se & formaliter non insint, sed κατ' ἄλλο secundum aliud ipsi tribuantur, sicut, quando dico : Deus est passus, prædicatum passum esse convenit quidem Deo, sed non in se & formaliter : verum propter humanam naturam ipsi personaliter unitam, quæ passionis capax est, unde etiam est prædicatio per communicationem. Quando verò dico, Filius Mariæ natus est, prædicatum Tò nasci competit per se & formaliter subiecto, filio Mariæ, adeoque occurrat loquendo prædicatio per communicationem dici non potest, sed potius formalis. Idem iudicium etiam esto de hac propositione : Christus est natus ex Maria Virgine, hoc concretum enim personæ, Christus, in suo formali conceptu includit illud, secundum quod est natus ex Maria Virgine, nempe humanam naturam. Adeoque prædicatum, natum esse ex Maria Virgine competit Christo per se & formaliter, & ideo est prædicatio formalis, id quod etiam valet de illa prædicatione, quando dico : Christus est æternus, omniscius, omnipræsens. Si tamen ultimæ hæ prædicationes, ubi prædicantur propria naturarum de concreto personæ, essent annumerandæ prædicationibus per communicationem (uti quidam censent ob hanc rationem : quia Scriptura etiam in his adhibeat particulas διακειταις vide Rom.

Rom. 9. v. 5. 1. Petr. 4. v. 1.) ad primum genus referremus illas, ubi prædicantur propria humanæ naturæ, ad secundum autem ubi prædicantur propria divinæ naturæ, ad tertium denique ubi prædicantur apotelesmata de concreto personæ. Sic quando dicitur: Jesus natus est in Betlehem, esset prædicatio primi: Christus est omniscius Prædicatio secundi: Christus redemit genus humanum, prædicatio tertii generis.

§. XVII.

Sunt autem Prædicationes hujus primi generis non tantum verbales, sed & reales, nam: qualis est unio personalis, talis etiam est communicatio idiomatum & propositio ipsam declarans, nam unio personalis est fundamentum communicationis idiomatum, & propositionum eam declarantium, quale autem est fundamentum, tale etiam est fundatum. Jam autem unio personalis est realis, ergo talem etiam communicationem idiomatum esse oportet.

§. XVIII.

Patet hinc error Zvinglii, & asseclarum, qui phrasēs hæcæ per ἀλλοίωσιν quandam exponunt ac misere depravant, ut sensus harum prædicationum Deus est passus, Dominus Gloriæ est crucifixus &c. demum hic emergat: humana natura Deitati unita est passa. Sed per hanc ἀλλοίωσιν tollitur omnis consolatio, si enim Christus tantum quoad humanam naturam est passus, & divina ejus natura sibi hanc passionem non appropriavit, sequitur iram Dei nondum esse sedatam; quia enim Deus infinito modo per peccata erat irritatus, & ejusdem iræ infinito quodam pretio erat satisfaciendum. Sola humana natura hoc ipsum præstare non potuit. Qualis enim

enim causa talis etiam est effectus, posita igitur causa finita & insufficiente, finitus & inefficax sequitur effectus. Porro: si sola humana natura potuit iræ divinæ satisfacere, non opus fuisset ut Filius Dei, de cœlo descenderet, & carnem assumeret, sed alius homo pro altero satisfacere potuisset, quod tamen negat Psalmista *Psal. 49. v. 8.* dicens: *Frater pro fratre non potest satisfacere.* Et quid hoc ipso Averfarii aliter faciunt, quam quod Nestorianismum introducunt, cujus quotidiana vox fuisse fertur: noli gloriari Judæe, non enim DEUM, sed hominem crucifixisti.

§. XIX.

Nos igitur dicimus: Filium DEI verè & propriè esse passum & mortuum, ob passionum, quas humana natura sustinuit, appropriationem, λόγος enim & humana natura tam arctè in unam personam coaluerunt, ut nunc verè dicitur: DEUS est homo, & homo est DEUS. Stabilitur etiam hæc nostra sententia canone illo philosophico: actiones & passionem sunt suppositorum, igitur & in Christo passionem non uni naturæ, sed toti personæ erunt adscribendæ. Si igitur in esse passionem divinæ naturæ sunt communes, quidni etiam in prædicari. Ne vero hic naturarum confusio admittatur, Scriptura S. aliquando adhibet particulas, ostendentes: cuiam per se hoc vel illud competat, hinc dicit *1. Petr. 4. v. 1.* Christus passus est in carne. & *Rom. 9. v. 5.* Christus est ex Patribus κατὰ σάρκα. Et pertinet huc canon Concilii Chalcedonens. *utraque natura agit quod suum est, sed cum perpetua communicatione alterius.* Et tantum de primo genere.

§. XX.

Secundum genus est communicatio Majestatis divina, qua humanæ naturæ in ὑποστάσει τῆς λόγῃ subsistenti, ac suas proprietates naturales retinenti, propter unionem personalem Divinitatis axiomata realiter sunt communicata.

§. XXI.

Subjectum igitur cui communicatio facta, est sola humana natura, de qua prædicantur idiomata divina, non solum in concreto, vide *Matth. 26. v. 64.* ubi Filius hominis sessurus dicitur ad dextram virtutis, sed etiam in abstracto, vide *Job. VI. v. 51.* ubi ipse Christus de carne sua dicit, quod eam habeat virtutem, ut si quis de ea ediderit, vivat in æternum. ex quo ipso sequitur, carnem Christi esse vivificam.

§. XXII.

Qui autem ad hoc genus quoque referunt illas prædicationes, ubi propria divina prædicantur de concreto personæ, ut ita subjecti loco stet nomen Jesus, Christus, Messias, illi personam secundum humanam naturam tantum considerant. Sic *Matth. 28. v. 18.* dicitur: Jesu esse datam omnem potestatem in cœlo & in terra, ubi nomen Jesus est nomen personæ, quæ h. I. non consideratur secundum utramque naturam, nam secundum divinam nihil ei dari potuit, cum omnia ab æterno jam possedit, ergo secundum humanam naturam tantum. Hinc in ejusmodi prædicationibus adhiberi solent particule restrictivæ, ut v. g. Christus secundum humanam naturam est omniscius, Jesu secundum humanam naturam data est omnis potestas in Cœlo & in Terra.



Prædicati autem loco in hoc genere stant idiomata divina, quæ de H. Christi N. prædicantur concretivè, nunquam autem abstractivè, non enim dico: humana Christi natura est omnipotentia, omniscientia, sed humana Christi natura est omnipotens, omniscia.

Quod vero idiomata divina verè & realiter humanæ Christi naturæ sint communicata, adeoque rectè de ea prædicentur, illud Scriptura S. probat (1) in genere, (2) in specie.

In genere quidem, quando *Col. 2. v. 9.* dicit: in Christo habitare totam plenitudinem divinitatis *ὅλην τὴν θεότητα*. ubi per plenitudinem divinitatis nihil aliud intelligit, quam totam essentiam divinam, hinc ita argumentamur: In quo habitat tota essentia divina, ei insunt omnia idiomata divina, quia idiomata divina ab essentia divina realiter non differunt. In humana autem natura Christi habitat tota essentia DEI, Ergo humanæ Christi naturæ insunt omnia idiomata divina. Minorem probamus h. m. si essentia DEI habitat in Christo; quod asserit Paulus l. c. aut habitat in divina, aut in humana ejus natura. Atqui non potest dici quod habitet in divina natura, alias enim idem habitaret in se ipso, Ergo habitabit in humana natura.

Idem etiam Scriptura S. probat in specie, quando Christo secundum humanam naturam tribuit. (1) Omnipotentiam, hinc ipse Filius DEI de se dicit: data est mihi omnis potestas in Coelo & in Terra *Matth. 28. v. 18.*

qua



qua phrasi *αυτοκρατορικη* & ipsissimam infinitam omnipotentiam DEI alias Scriptura S. notare solet, hinc alibi dicitur potestas aeterna *Dan. 7. v. 14. εξουσία πάσης σαρκος* potestas omnis carnis *Job. 17. v. 2.* Hæc potestas autem, sicut Filio DEI data est in tempore, ita non secundum Deitatem, secundum quam eam ab aeterno jam habuit, sed secundum humanitatem ei data est. videatur *Dan. 7. v. 13. 14.* ex quo loco B. Geierus in aureo suo commentario in Daniele ita argumentatur: *secundum quam naturam adductus hic cernitur Messias, secundum eam etiam naturam accepit Majestatem divinam: jam secundum divinam est in Patre, & Pater in ipso Job. 14. v. 10. secundum humanitatem vero adductus cernitur, quapropter etiam secundum hanc accepit divinam Majestatem.* Hic excipiunt quidem Adversarii: aliud esse *εξουσίαν*, potestatem habere, & aliud, habere *δύναμιν* potentiam, Principem enim sæpe habere potestatem depellendi hostes, sed non statim potentiam, & sic etiam dici Christo datam esse *εξουσίαν* potestatem, non vero *δύναμιν* potentiam Resp. si *εξουσία* nudam potestatem sine potentia denotaret, sequeretur Apostolos majorem habuisse potestatem quam Christus ipse, nam de illis dicitur *Luc. 9. v. 1.* quod acceperint *δύναμιν καὶ εξουσίαν* & *Luc. 4. v. 36.* expressè assignatur Christo *εξουσία* & *δύναμις* imo *Apoc. 5. v. 12.* hæc *εξουσία* per *δύναμιν* & *ισχύν* explicatur.

§. XXVII.

(2) Christo homini etiam tribuit omniscientiam. Sic *Esaias cap. 11. v. 2.* de eo dicit: requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiae & Intellectus, Spiritus Consilii & Scientiae. Quæ Scientia verè infinita est, ut ex *Job. 3. v. 34.* patet, ubi Christus testatur se sc.

sc. secundum humanam naturam Spiritum hunc à Patre suo cœlesti non ad mensuram, sed cum omni redundantia accepisse. Hinc etiam Scriptura testatur, quod absens viderit Nathanaelem sub ficu sedentem *Job. 1. v. 48.* quod perspexerit fidem Paralytici & Bajulorum *Matth. 9. v. 2.* quod absens cognoverit Lazarum mortuum esse *Job. 11. v. 11.* & quæ alia infinitæ omniscientiæ humanæ Christi naturæ communicatæ argumenta sunt.

## §. XXVIII.

(3) Adscribit Christo homini omnipræsentiam, quod patet ex *Matth. 28. v. 20.* ubi ipse Christus dicit ad Discipulos: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, ubi Discipulis suis promittit præsentiam suam non secundum divinam naturam tantum, post *ἐνορκωσιν* enim *λόγῳ* ne ad momentum quidem sine humana natura existit, sed etiam secundum humanam suam naturam. Discipuli enim non contristabantur propter subtractionem præsentiae Christi secundum Divinitatem, sed propter subtractionem præsentiae humanæ naturæ visibilem, hinc Christus eos solatur, se totum, h. e. secundum utramque naturam ipsis usque ad consummationem seculi adfuturum. Hinc etiam *Ephes. 1. v. 23.* dicitur omnia in omnibus adimplere. & *cap. 4. v. 10.* super omnes cœlos ascendisse, ut impleret omnia.

## §. XXIX.

(4) Cultum adorationis soli DEO debitum, qui in V. T. jam erat prædictus *Psal. 97. v. 7.* adorate eum, omnes Angeli DEI, id quod Autor Epistolæ ad Hebræos ad Christum accommodat *cap. 1. v. 6.* & *Philipp. 2. v. 9.* dicit Apostolus: DEUS dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu cœle-

coelestium, terrestrium & inferorum. Idem etiam confirmant exempla sanctorum, qui Christum hominem religiosè adorarunt, ut Discipuli Christi *Matth. 14. v. 33.* Mulier Cananæa *Matth. 15. v. 22. & 25.* duò cœci *cap. 20. v. 30.* leprosus *Luc. 17. v. 15.* imò ipsi Angeli & Sancti in Cœlo *Apoc. 5. v. 8.* Hinc eleganter hac de re scribit Augustinus Serm. 58. de verbis Domini: *Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quod à divinitate suscepta & Deitati unita est, ut non alium & alium, sed unum eundemque DEUM & Hominem Filium DEI esse confitear.*

§. XXX.

(5) Potestatem iudicium faciendi. Sic ipse Christus *Job. 5. v. 27.* dicit: Pater dedit Filio potestatem iudicium faciendi, quia Filius hominis est. vide *Act. 17. v. 31.* (6) Potestatem remittendi peccata. *Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 11.* (7) Virtutem vivificandi *Job. 6. v. 51. 53. 54.* Quæ omnia idiomata esse verè divina ac infinita quis est qui non intelligat.

§. XXXI.

Non autem tantum hæc, quæ nunc commemoravimus idiomata divina, sed & omnia alia, sub quocunque etiam nomine à nobis concipiuntur, humanæ naturæ Christi sunt communicata. Nam communicatâ essentiâ divinâ, quod supra probavimus, communicatâ etiam esse oportet omnia ejus idiomata, utpote quæ ab essentia divina realiter non differunt, sed nostro saltem concipiendi modo.

§. XXXII.

Interim tamen non omnia de humana Christi natura possunt immediatè prædicari, ratio est: quia idio-

G

mata

mata divina humanae Christi naturae mediate tantum, conveniunt, nempe mediante divina natura, non autem omnia, quae alicui mediate insunt, etiam statim de eo possunt praedicari, cum saepe repugnantia quaedam obstat, quo minus unum de altero praedicetur. Exemplo esse potest ferrum ignitum, tali enim ferro ignis communicat calorem & levitatem, ut mediante calore ferro insit levitas, nec tamen de ea praedicari potest, non enim recte dico ferrum est leve. Sic etiam homini inest anima, & omnia quae animae insunt, mediate etiam conveniunt homini, non tamen omnia animae idiomata possunt de homine praedicari, non enim dicimus: homo est immaterialis, immortalis, Spiritus &c. recte tamen: homo est intelligens, est rationalis, quae aequae animae conveniunt uti ante commemorata, nec tamen illa pariter uti haec de homine praedicantur, cum inter illa repugnantia quaedam intercedat, inter haec vero minime.

§. XXXIII.

Idem iudicium esto de idiomatibus divinis, quaedam enim illorum humanae Christi naturae in praedicando repugnant, quaedam autem ei non repugnant. Quae humanae Christi naturae non repugnant, illa etiam de ea immediate possunt praedicari, ut sunt omnipotentia, omniscientia, & coetera paulo ante commemorata idiomata divina, ut recte dicam: Humana Christi Natura est omniscia, est omnipotens. Quae autem respectu humanae naturae repugnantiam quandam dicunt, illa de humana Christi natura non possunt immediate praedicari, qualia sunt infinitas, aeternitas &c. repugnat enim ut finitum, quale est natura Christi humana, simul sit infinitum, & illud, quod

quod in tempore coepit, uti humana Christi natura sit æternum quid & careat initio. Ex quo patet, dari quædam idiomata divina, quæ non possint de humana Christi natura immediatè prædicari, utut revera ei sint communicata. Ita multa competunt in humanis, quæ ob repugnantiam alterius prædicati non prædicantur. Unde ceu ἀνεργητα rectè quiescunt, ut probè notat *B. Martin. d. l. n. 22. & seq.*

§. XXXIV.

Possunt tamen idiomata hæc, licet aliàs humanæ naturæ Christi repugnent, de ea prædicari mediatè, mediante scilicet alio idiomate divino, sic rectè dicimus humana Christi natura est omnipotens omnipotentia æternâ, humana Christi natura est omniscia, infinita omniscientia Dei &c.

§. XXXV.

Et hinc patet quid respondendum sit Adversariis ad Syllogismum hunc corruptum: aut omnia idiomata divina humanæ Christi naturæ sunt communicata, aut quædam, aut nulla. Sed non omnia; quia infinitas, æternitas, immensitas &c. non possunt dici communicata, nisi ab eo, qui essentiam humanæ naturæ velit evertere, nec quædam, quia attributa divina quoad rem nec inter se, nec ab essentia divina differunt, unde communicato uno, necessum esse communicari & reliqua, Ergo inferunt, nulla idiomata divina humanæ Christi naturæ sunt communicata. Sed respondemus ad Majorem limitando: communicata ad κησιν, & χησιν, aded prædicationem. Sic ad Minorem, nec enim quæ revera competunt, mox & invicem prædicari possunt, quod non dicimus. Hinc Minorem eam negamus, nam omnia omnino



idiomata divina humanæ Christi naturæ ob unionem personalem sunt communicata, licet non omnia, ut æternitas, immensitas &c. de ea immediatè possint prædicari. Videatur dictus D. Martini, & dein. uti lib. de Communic. Idiomatum. *B. Mus. in LL. Theol. th. 21. seq.*

§. XXXVI.

Ut verò de modo habendi idiomata divina adhuc quædam adjiciamus, supra §. 32. jam diximus: illa humanæ Christi naturæ competere non nisi mediatè, mediante sc. divina natura. Eadem ergo numero idiomata divina, quæ λόγῳ insunt, etiam humanæ ejus naturæ competunt, hoc tamen discrimine: quod in divina Christi natura sint essentialiter & per æternam generationem, in humana autem personaliter, communicativè & per unionis gratiam, salvis interim manentibus naturis earumque propriis.

§. XXXVII.

Non igitur hæc idiomatum divinorum communicatio introducit naturarum divinæ & humanæ exæquationem, quæ enim sunt idiomata & attributa divina, manent etiam divinæ naturæ idiomata, in unitate tamen personæ possidet etiam illa revera humana natura. Declarari hoc potest aliquo modo simili è natura petito. Nigredini, ut qualitati per se non competit divisibilitas, sed est proprium quantitatis, quando vero illa unitur tabulæ, & hæc in partes secatur, tunc ipsa nigredo in se indivisibilis, divisibilitatis mediante quantitate Tabulæ fit particeps. hîc divisibilitas manet quidem quantitatis proprietas, communicatur tamen propter unionem, quam tabula & nigredo habent, etiam qualitati; ita, ut  
tamen

35 (53) 56

tamen nigredo per se non sit divisibilis, sed per unionem tantum cum tabula, quæ quanta.

§. XXXVIII.

Ut ita fundamentum hujus communicationis sit Unio Hypostatica, quia enim humana Christi natura cum divina personaliter est unita, ejusque, & ὑπόστασεως ejus realiter facta est particeps, ideo etiam divinæ Majestatis verè & realiter particeps facta est.

§. XXXIX.

Tertium communicationis idiomatum genus est, κοινοποίησις, quando utraque natura in Christo ad commune quoddam ἀποτέλεσμα seu opus mediatorium concurrat. Ac Principium ἐνεργῶν seu Quod, nempe Persona, ἐνεργητικὸν, seu Quo, Natura, qua operatio terminatur, ἐνέργεια, seu facultas, & ἐνέργημα, seu terminus operationis, demonstrant communicandi fundamentum ac modum, ut rectè procedat prædicatio apotelesmatis tributi.

§. XL.

Subjectum autem in hoc genere semper est Persona, quæ modo à natura divina denominatur, e. g. DEUS, Filius DEI, vel ab humana natura, ut Homo, Filius hominis, vel ab utraque natura e. g. Christus, Immanuel, Jesus.

§. XLI.

Prædicatum autem sunt non tantum nomina Officiorum, quæ Christo competunt secundum utramque naturam, ut esse Mediatorem, Sacerdotem, Regem &c. sed & ἀποτελέσματα, seu opera officii mediatorii, quæ ad utramque naturam pertinent, qualia sunt v. g. acquirere ecclesiam suo sanguine, contere caput serpentis

tis, salvare animas hominum, & alia, nec non miraculosa actiones, quibus circumvixit & sanavit omnes oppressos à Diabolo *Act. 10. v. 38.*

§. XLII.

Hic tamen, monente Scholâ Theologicâ sincerâ, & cum hac B. Musæo in sæpius citatis LL. Theol. probè distinguendum est, inter opéra Officii mediatorii, & inter Proprietates humanæ naturæ, sic e. g. mori & pati absolutè loquendo, sunt propria humana naturæ, hinc quando de concreto divinæ naturæ prædicantur, pertinent hæ prædicationes ad primum genus communicationis idiomatum, non vero ad tertium: contra verò mori pro peccatis generis humani, est ἀποτέλεσμα, & pertinet ad tertium genus, quælibet enim natura hic facit, quod suum est, humana sc. moriendo & patiando, divina autem passioni ac morti infinitum valorem superaddendo, ut mors sit sufficiens λύτρον pro peccatis totius generis humani.

§. XLIII.

Utraque igitur natura ad commune aliquod ἀποτέλεσμα concurrat, ita tamen, ut unaquæque suas proprias habeat & retineat ἐνεργείας seu operationes. Hoc Damascenus Libr. 3. O. E. cap. 9. simili quodam à ferro ignito desumpto illustrat. Sicut enim in illo servantur duæ naturæ ignis & ferri, ita etiam duæ operationes, incidere & urere, quæ tamen ita arctissimo nexu inter se copulatæ cohærent, & communionem inter se habent unitissimam, ut nec ustulatio sine incisione, nec incisio sine ustulatione fiat. Ad eundem ferè modum comparatum cum natura divina & humana, sicuti enim post unionem manent realiter distinctæ, ita etiam earundem ope-



operationes, inter quas tamen talis est communio, ut neque divina sine humana, nec humana sine divina in operibus mediatoriis quicquam agat.

§. XLIV.

Patet hinc impietas Stankari, cum universo Jesuitarum choro, qui Christum secundum humanam tantum naturam nostrum faciunt Mediatorem, & hoc ipso fontes vivarum consolationum occludunt. Quorum sententia ex hactenus dictis facile potest refutari. Videatur *Gal. 4. v. 4. 1. Job. 1. v. 7. 1. Job. 3. v. 8. Rom. 5. v. 8.* quibus in locis disertè probatur, Christum Mediatorem nostrum esse etiam secundum divinam naturam. Nec minus absurda fuit Andreae Osiandri sententia, qui docuit Christum esse Mediatorem nostrum secundum divinam naturam tantum. Sed & hæc sententia ex modò allatis facilè refutatur, & pari facilitate qua affertur, rejicitur. Vide *Luc. 9. v. 56. & 1. Tim. 2. v. 5.* quæ loca probant quod Christus etiam secundum humanam naturam noster Mediator sit.

§. XLV.

Ad hoc igitur Genus pertinent (1) omnia ea, quæ ad officium Mediatoris spectant e. g. 1. *Job. 3. v. 8.* ad hoc apparuit Filius DEI ut dissolvat opera Diaboli, ubi dissolvere opera diaboli est opus officii mediatori, in quo Christus agit secundum utramque naturam ut Deus & homo: Item *Jerem. 33. v. 16.* ubi dicitur: Jehova justitiæ nostræ. Christus autem non est justitiæ nostræ secundum divinam naturam tantum, neque secundum humanam naturam tantum, sed secundum utramque naturam.

§. XLVI.

Pertinent, etiam ad hoc genus (2) omnia miracula, quia etiam in iisdem perficiendis Christus non secundum solam divinam, neque secundum humanam naturam tantum, sed secundum utramque naturam operatus est. De divina ejus natura nullum est dubium, sic enim Nicodemus ad Christum ait : nemo potest hæc miracula, quæ tu facis, facere, nisi DEUS cum eo *Job. 3. v. 2.* De humana quoque natura id ipsum constat, quia Christus, quoties tale aliquod miraculum edidit, non immediatè, sed per humanam naturam membrisque externis operatus est, ut passim ex Scriptura S. constat. Neque tamen humana natura ad hæc opera concurrat ut *ἄλογον* quoddam instrumentum, sed ut *ἔλλογον*, est enim caro Christi non nudi hominis caro, sed caro deificata, per quam, in qua, & cum qua Filio Dei vim suam divinam exferere placuit.

Et tantum de Persona Jesu Christi *θεανθρώπου*. Cui sit Laus, Honor & Gloria in Seculorum Secula.

F I N I S.



ED - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 890



ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgegeben

Datum: 2008

Sb.


D.

Ref. ✓

Mi

41





m. 8

P. D. B.  
DISSERTATIO TH

DE  
JESU CH  
EOEANO

SISTENS  
DUAS IN CHRISTO NATUR  
UNITAS, EARUMQUE I


QVAM  
IN ILLUSTRIS AD SAL  
RECTORE MAGNI  
SERENISSIMO JUVENT  
DOMIN

VVILHELMO  
DUCE SAXONIE, JULIACI, CL  
ANGARIE ET WESTPH  
SUB PRÆSIDI  
SUMME REVI

DN. PHILIPPI  
DOCTORIS THE  
DUCAL. SAXON. CONSILIARII ECCLESIA  
PRÆPOSITI ET PRÆLATI, FACULT. THE  
ET ACADEMIE SENIORIS MA  
*Domini Patroni ac Præceptoris sui filiali ob*

In Auditorio Th  
*publica disquisitioni s*  
JOHANNES GEORGI  
Magdeb. Sa  
AUTOR ET RES  
*Ad d. April. M*

JENÆ, LITERIS W



Farbkarte #13

